100—
a—
110—

HERMANNI SCHLICHTHORST
BREMENSIS

GEOGRAPHIA
HOMERI

COMMENTATIO

QVAM
IN CONCERTATIONE CIVIVM
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
DIE IV. IVNII CIↃIↃCCLXXXVII.
ORDO PHILOSOPHORVM ILLVSTRIS
AD PRAEMIO ORNATAM ALTERO LOCO ACCEDERE
IVDICAVIT.

Praefatus est Ill. Io. Christoph. Gatterer.

\- - - - - - nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum.
OVID.

GOTTINGAE,
SVMTIBVS VANDENHOECKIANIS ET RVPRECHTII.

VIRO EXCELLENTISSIMO
GOTTHELF DIDERICO DE ENDE
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS INTIMIS
PRAESIDI COLLEGIORVM REGIORVM
PER DVCATVM BREMENSEM ET VERDENSEM
REGIONIS HADELENSIS PRAEFECTO SVMMO

VIRO PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
ERNESTO IOSVAE L. B. DE BVLOW
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS REGENDORVM DVCATVVM
BREMENSIS ET VERDENSIS

VIRO
PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
NICOLAO DE DECKEN
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS REGENDORVM DVCATVVM
BREMENSIS ET VERDENSIS

VIRO GENEROSISSIMO
GEORGIO ARNOLDO
DE SPILKER
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
CONSISTORII DICASTERII ET IVDICII AVLAE
PER DVCATVS BREMENSEM ET VERDENSEM
DIRECTORI

VIRO
MAGNIFICO SVMMEQVE VENERABILI
IOANNI HENRICO PRATIE
S. S. THEOL. DOCTORI
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
ECCLESIARVM ATQVE SCHOLARVM
PER DVCATVS BREMENSEM ET VERDENSEM
SVPERINTENDENTI GENERALI
REGII CONSISTORII MEMBRO SENIORI
AVO SVO PIE DEVENERANDO

VIRO GENEROSISSIMO
IOANNI IVLIO CONRADO
DE SCHLVTER
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
IN CONSISTORIO DICASTERIO ET IVDICIO AVLAE
A CONSILIIS

VIRO GENEROSISSIMO

FERDINANDO ADOLPHO

DE ENDE

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

IN CONSISTORIO DICASTERIO ET IVDICIO AVLAE

A CONSILIIS

VIRO SVMME VENERABILI

IOA. FRIDERICO A STADE

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

ECCLESIARVM ET SCHOLARVM PER DVCATVM

VERDENSEM SVPERINTENDENTI

AD AEDES CATHEDRALES VERDENSES

VERBI DIVINI MINISTRO PRIMARIO

VIRO SVMME VENERABILI

ALBERTO ANTONIO WATERMEYER

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

ET MILITVM QVI STADAE SVNT PRAESIDIARIORVM

CONCIONATORI GRAVISSIMO

VIRO SVMME VENERABILI

HERMANNO ANDREAE RIEFFESTHAL

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

ECCLESIARVM ET SCHOLARVM CIRCVLI

BREMENSIS SVPERINTENDENTI

AD AEDES PETRINAS QVAE BREMAE SVNT

VERBI DIVINI MINISTRO PRIMARIO

PATRONIS ET FAVTORIBVS SVIS
INDVLGENTISSIMIS

QVORVM FAVORE ET BENEVOLENTIA

PORRO SIBI NITENDVM ERIT

CEV SVMMAE OBSERVANTIAE DOCVMENTVM

CVM ARDENTISSIMIS OMNIGENAE PROSPERITATIS

VOTIS

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN

DEVOTISSIMO ANIMO

SACRVM ESSE CVPIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR PERPETVVS

HERMANNVS SCHLICHTHORST.

IOH. CHRISTOPH. GATTERERI

PRAEFATIO.

Diuidi ſolet *Hiſtoria* omnis, ac recte quidem, in *antiquam*, *mediam* ac *nouam:* quae quidem Hiſtoriae diſtribuendae ratio, ſi recte intelligatur, aeque vtiliter ac bene ad diuidendam *Geographiam*, adiutricem illam Hiſtoriae fidelem ac perpetuam comitem accommodari poteſt. Quemadmodum ſcilicet Hiſtorici *Hiſtoriam antiquam* (vt in hac ſola nunc ſubſiſtamus) non vno quaſi halitu, nulloque ad rerum antiquiorum ſeriorumque diſcrimina reſpectu habito, narrare ſolent, ſed per ſingulas aetates gradu ſedato eunt ita, vt ſuum cuique aetati tribuant: ſic Geographorum etiam, *Geographiam antiquam* ſcribere cupientium, eſt, non commiſcere aceruatim ac confundere in vnum veluti grumulum res, aetate ac natura ſua diſſimillimas; ſed, quoniam diuerſiſſima per diuerſa priſci aeui ſaecula fuit populorum terrarumque facies, per periodos eundo, nec prima poſtremis commiſcendo, terras ſingulas,

terra-

terrarumque fines, cuiuis tempori proprios, cum incolis fuis, vrbibus, oppidis, montibus, fluuiis, maribus, lacubusque, defcribere.

Verum enim vero non ita in inftruenda atque explicanda Geographia antiqua hucusque verfati funt CELLARII noftri ac DANVILLII, hoc eft, optimi, quos habemus, Geographiae veteris auctores. Eft enim folus fere PTOLEMAEVS, faeculi II poft Chriftum natum auctor, quem viri illi, doctiffimi ceteroquin ac de Geographia meritiffimi, ducem fecuti funt. Quae Strabo, Plinius, fcriptoresque alii, Ptolemaeo vel haud multo antiquiores, vel iuniores etiam, tradunt, ea Cellarius Danuilliusque fupplendo tantum atque illuftrando Ptolemaeo voluerunt inferuire; Homerum autem, Herodotum, Thucydidem, Polybium, ceterosque primorum temporum fcriptores vix dignos iudicarunt, ad quos leuiter interdum, ac velut aliud agendo, prouocarent.

Iam multiformem hanc atque promifcuam rerum locorumque diffimillimorum colluuiem potius, quam collectionem quis eft, qui habere poffit pro Geographia antiqua, quae cognofcendis omnibus aetatibus idonea fit ac fufficiens? Exiftet igitur, quantum ego quidem exiftimo, tum demum *Geographia antiqua veri nominis*, fi, inde a Mofe, Geographorum (vt Hiftoricorum) principe, ad V vsque faeculum poft Chriftum natum, *per aetates fingulas* ita eatur, vt fuum cuique aetati tribuatur quidem, fed omnes tamen ac fingulae aetates vna eademque ratione explicentur, tabulisque geographicis iisque harmonicis exhibeantur. Vno verbo, fcribenda erit, *Geographia* MOSIS, Ho-

HOMERI, HERODOTI, POLYBII, STRABONIS, PLINII, PTOLEMAEI cet., diuerſa quidem multis in rebus vna ab altera, ſingularibusque exponenda tabulis, ſed quaelibet tamen ratione tam ſimili tractanda, vt vna cum altera faciliime comparari poſſit.

Quae hactenus a me de Geographiae antiquae natura et indole expoſita ſunt, ea iam ante hos ſeptemdecim annos doctorum hominum disquiſitioni ſubieci (in praefatione, tomo 33 Hiſtoriae Catholicae Halenſis, *Allgemeine Welthiſtorie* in 4to praemiſſa). Nec mei me conſilii qualiscumque poenituit. Etſi enim probe noueram, rem difficillimam effectu eſſe, quam noſtratibus commendaui; ſperare tamen, immo confidere auſus ſum, fore aliquando, vt, diuiſis praeſertim inter plures laboribus, Geographia antiqua talis, qualem Hiſtorici deſiderant, in lucem prodeat.

Ac *Geographia* quidem *Moſis* ceterorumque cum eo coniungendorum ſcriptorum ſacrorum haud multum difficultatis moleſtiaeque afferet ſcripturo, poſtquam Ill. MICHAELIS ſpecimen ſuum Geographiae Haebraeorum exterae poſt Bochartum edidit.

Nec de *Homeri Geographia*, quamquam ad eam exarandam doctrinae multiplicis apparatus ac diligentia prorſus ſingularis requiritur, deſperandum mihi duxi, cum vidiſſem, quam laete inter nos, vt omnium omnino literarum graecarum, ita Homeri inprimis, ſtudia florerent. Tam breui autem Homeri Geographiam proditurarn eſſe, nec ab vno tantum, ſed a quinque ſimul auctoribus elabo-

ratam, id fateor, ne fuſpicari quidem antea auſus ſum. Debetur hoc munificentiae recentiſſimae Auguſtiſſimi Regis noſtri, qui praemiis ſuis ciues noſtros academicos ad praeclara quaeuis audenda nuper prouocare coepit. Quid iudicauerit de quinque his ſcriptis ordo noſter philoſophicus, quidque iudicauerim ego quidem ipſe, qui quaeſtionem de Geographia Homeri certaturis propoſueram, ex his programmatis academici verbis perſpici poterit:

„Erat quidem quaeſtio ita comparata, vt profectus ſtudiorum nonnullos, doctrinaeque apparatum, cum aſſiduitate inueſtigandi ea, quae ad conſilium facerent, haud vulgari, poſtularet. Contigit tamen, quod vix ſperare auſi eramus, vt prodirent in arenam *quinque athletae, animis viribusque omnes inſignes, ita vt nullus ex iis eſſet, qui non praemio dignus videri poſſet, ſi ſolus certaſſet, adeoque laus quidem et commendatio ingenii, doctrinae et induſtriae, omnibus ac ſingulis communi iudicio deberi viſa eſt;* comparatione tamen inter eos facta certamen erat diiudicandum, et videndum, qui et qua in re alii aliis excellerent.„

Ac Schlichthorstii quidem noſtri ſcriptioni *tertia palma* aſſignata eſt ab ordine noſtro: qua eum digniſſimum eſſe, nemo rei peritus erit, qui diffiteatur. Quare etiam libenter ac cum voluptate, quamquam rogatus, praefatiunculam hanc commentationi *Schlichthorſtianae* praemiſi.

Ad antiquioris aeui Geographiam illuſtrandam facit etiam quae a Kulenkampio, collega aeſtimatiſſimo, in annum 1788 certaturis de praemio Regis extraordinario propoſita eſt quaeſtio:

„*Fa-*

„*Fabulosam Argonautarum Geographiam* ex veterum, tam integris, quae supersunt, monimentis, quam deperditorum fragminibus eruere: diuersas, ex diuersorum mente, itineris vias prosequi: regiones denique et vrbes, quas in expeditione accessisse dicuntur Argonautae, accurate determinare, et ad hodiernam ipsius tractus faciem reuocare.

Iam quod ad *Herodoti Geographiam* attinet, ego quidem ipse inde ab A. 1781, locum illum difficillimum de *Thracia Herodoti* tribus commentationibus (quae Commentationibus Reg. Soc. scient. Goett. insertae sunt) tractandum sumsi. Sed nunc spem velut in manibus habemus, fore, vt alius Geographiae Herodoteae locus, aeque difficilis, explicetur, postquam a collega coniunctissimo, Heynio, quaestio de *Geographia Africae Herodotea constituenda* certaturis de praemio Regis ordinario in eundem annum 1788 proposita est.

Restant nonnulla in *Asiae* etiam Geographia Herodotea, quae dilucide prius ac subtiliter pertractanda erunt, quam ad vniuersam Herodoti Geographiam describendam accedere liceat.

Pari modo Geographica nonnulla Polybii cum quibusdam *Geographis graecis minoribus* copulandi, Strabonis cum *Diodoro* et Geographis *graecis minoribus* coniungendi, Plinii cum *Taciti* Germania, Ptolemaei, *Tabulae Peutingerianae* cum reliquis *Itinerariis* et *Geographo Ravennate* sedulos atque accuratos emendatores non magis, quam explanatores ac interpretes exspectant.

Adornata autem ſic et praeparata coniunctis plurium hominum doctorum ſtudiis materia omni, ſcribi tandem cum fructu poterit *Geographia antiqua veri nominis*, quae inde a Moſe, ad V. vsque ſaeculum poſt Chriſtum natum procedens, omnes ac ſingulas aetates, vna eademque ratione tabuliſque geographicis harmonicis expoſitas, complectatur.

Goettingae, d. 24. Iulii A. 1787.

PRAE-

PRAEFATIO AVCTORIS.

Illuſtris Philoſophorum Ordo iuſſit de praemio certaturos

Orbis terrarum faciem, qualis depingitur ab Homero, declarare: hoc eſt, ex vtroque poetae principis opere, tam Iliade, quam Odyſſeae, quidquid iis Geographici argumenti continetur, diligenter ac plene colligere, ita, vt Homero duce per tres orbis partes eatur, et, quae de ſingulis regionibus, earumque populis, montibus, fluuiis, maribus, lacubusque, vrbibus, oppidis cet. ab Homero commemorata ſunt, Geographorum more in vnum congerantur. Pergit celeberrimus argumenti auctor hunc in modum: *Obſcurioribus poetae locis cum ſaepe lucem affundere poſſit Strabo, perpetuus Geographiae Homericae interpres, bene recteque agent de prae-*

praemio certaturi, si Strabone quotiescunque res ipsa postulatura sit, ad Homerum explicandum vtantur. Ita existet, vt speramus, aliqua Homeri Geographia, qua hucusque aegre caruerunt tam Historici, quam alii literarum antiquiorum interpretes.

Homeri igitur *Geographiam* meditandi, et ad vires experiundas qualescunque meas vita cum aliis in arenam descendere apud animum statuenti, illico mihi apparebat, hoc sibi nolle celeberrimum argumenti Auctorem, vt eam perpetuo eoque longiori commentario certaturi illustrarent, vti verbi caussa *Apollodorus* Atheniensis Catalogum Navium, quem vocant, explicauit, cuius commentarius non sine magno rei geographicae damno iam est deperditus *a*). Potius

a) Apollodorus Atheniensis XII. Menogenes XXIII. libris Homeri Navium Catalogum illustrasse, perhibentur. Praeterea et alii, referente Strabone Geogr. lib. IX. p. 478. lucubrationes quasdam in eundem ediderunt. In quorum numero fuit Demetrius Scepsius, qui, eodem teste lib. XIII. p. 700. in explicandis et interpretandis XX. Catalogi versibus de Troum recensione XXX. libros (alii inuertunt numeros) consummauit. (Conf et Wood über das Original-Genie des Homers p. 97. versionis germanicae.) Quorum virorum commentaria licet sint deperdita, sufficit tamen superesse Strabonem, etsi variis in locis mutilum et mancum. Promisit quidem e recentioribus commentarium in geographicum Homeri argumentum Ioannes Spondanus, (in Comment. p. m 46.) quod tamen opus intra conatus perstitit. Nostro demum seculo Reimmannus commentationem de Geographia Homeri tempore publici iuris fecit, in qua tamen, quae ad Geographiam Homeri constituendam inprimis postulantur, et plenam Geographici argumenti collectionem et recensum ac descriptionem Geographico more factam, desidero. Taceo alia vitia quibus commentatio ea laborat. Titulus libri Reimmanniani, quo laudata commentatio continetur, hic est: Iacobi Friederici Reimmanni Ilias post Homerum, hoc est, incunabula omnium scientiarum ex Homero eruta et systematice descripta. Lemgov. 1728. 8.

Potius hanc eſſe Summi Illius Viri mentem facile intelligebam, vt *Geographiae Homericae* primae tantum lineae ducerentur, quae et Hiſtoricis et omnibus, quibus curae cordique ſunt literae antiquiores, maxime earum interpretibus, orbem Homericum primo intuitu ob oculos ponerent. Ad hunc itaque libellum eo libentius acceſſi conſcribendum, quo certius mihi perſuaſum habebam, maximam fore vtilitatem, quae ex ſtudio, in conſcribenda eiusmodi commentatione collocando, ad me redundaret. Neutiquam ſane ab initio me latebant obſcuriora illa, magisque impedita loca, quae maxime in Catalogo Nauium, paſſim et in reliqua Iliade et in Odyſſea obiiciuntur ei, qui poetae principis Geographiam componere apud animum ſtatutum deliberatumque habet. Quas tamen difficultates ſubſidariis, quos in vſum meum contuli, libris, (quantum id quidem, ſaluis ceteris, quibus obſtrictus tenebar, negotiis, per VIII. menſium ſpatium mihi licuit) nec non *Heynii*, Viri Summi, in Catalogum Nauium praelectionibus per hibernum ſemeſtre anni LXXXVI. habitis, adiutus, maxima ex parte me ſuperaturum eſſe putabam.

Multa ſane habeo, quibus commentationi meae longius praefari poſſem, quorum tamen bonam partem ſilentio praetermittere animus eſt; breuitati enim ſtudeo. De commentationis igitur oeconomia, deque methodo, quam in tractandis rebus ſequutus ſum, in vniuerſum nihil monebo, ne in ſyluam ligna laturus videar. Hoc tantum profiteri liceat, quod conſultius mihi videbatur, *Homeri Geographiam* ita tractare, reſque dicendas ita diſponere, vt geographicum argumentum, quod Nauium Catalogo (cuius quinas eſſe partes obiter moneo) continetur, ab eo,

quod in reliqua Iliade inque omni Odyſſea occurrit, primo intuitu diſtinguere poſſis. Sicuti vero eas vrbes, ea flumina cet. quae hic illic in poetae noſtri carminibus commemorata ſunt, non mixtim et perturbate recenſui, ſed ratione magnitudinis famaeque habita, ita quoque eandem ob cauſſam nominum, in Catalogo Nauium occurrentium ordinem, ab Homero ſeruatum, nonunquam mutandum eſſe exiſtimabam. Quae hactenus dictis ſubiungenda et extremo ſaltem digito attingenda eſſe mihi videntur in verba conferam pauciſſima.

Iam vero ante omnia operam diligentiamque, quam potui, omnem adhibui, vt et *plena Geographici argumenti*, in vtroque Homeri carmine obuii, *collectione*, et *bono ordine* in rebus pertractandis explicandisque ſeruato, commentatio mea ſeſe commendaret. Deinde vero qualescunque induſtriae meae neruos eo contendi, vt moleſtum illud et iniucundum, quo nuda montium, fluuiorum, vrbium, oppidorum cet. recenſione lectorem affici neceſſe eſt, aliqua ſaltem ex parte tollerem. At vero, licet optimam pertractandi Geographiam methodum ſequutus eſſe is dicendus ſit, qui memorabilia ex hiſtoria petita Geographico inſeruit argumento: tamen ad hoc efficiendum neutiquam auſus ſum obſeruationes hiſtoricas adiicere nec nimis multas, nec e recentioris aeui hiſtoria ductas, veritus partim, ne a propoſito meo aberrarem, partim ne iuſtos fines commentatio mea ſuperaret. Multa, illum in finem a me congeſta, pertinent ad relationes veterum auctorum de vrbium, oppidorum cet. conditoribus, nominumque origine, quas non omnino ingratas lectoribus fore ſperabam.

Epi-

Epithetorum innumerabilium fere, quae regionum, vrbium cet. nominibus ab Homero addita deprehenduntur, consulto et ex instituto tacui nullum, si a mere ornantibus, quae vocant, recesseris. Illorum vero minus clara, vt potui, explicaui, magis obscura autem nec scioli instar interpretari, nec omnino silentio praetermittenda esse iudicaui. Potius consultius videbatur in neutram partem peccare, et epitheta magis obscura suis saltem locis inserere.

Restat, vt de praecipuis subsidiariis, quibus vsus sum libris, paucissima subiungam. Strabonis vtilem operam saepissime me expertum, non est, quod celem lectores. Vnum hoc molestum est, quod non nisi ea celeberrimi huius scriptoris operum editione vti mihi concessum fuit, quae Basileae 1571. in forma maxima prodiit; paucis tamen in locis Casaubonianam adhibui. Tum quoque Eustathii commentarium adhibui, maxime ad Catalogum Nauium explicandum. Ad interpretandos et explicandos V priores Iliadis libros ea vsus sum editione, quae cura et cum notis Alexandri Politi inde ab anno 1730. vulgata est Florentiae in forma maxima. Ad reliquos autem Iliadis libros et ad Odysseam interpretandam, notissimam adhibui editionem, Romae 1542. IV. Voll. in forma maxima editam. Quam tamen cursim tantum inspicere mihi licuit. Praeterea in vsum meum contuli Scholia in Homerum minora, fragmenta Commentarii Apollodori in Catalogum Nauium, quae ex Strabone, Suida aliisque collegit, et in volumine tertio annotationum suarum in Apollodori Bibliothecam p. 1099-1125. recudi fecit *Heynius*, Vir Clarissimus. Inspexi et Scholia in Catal. Nau. quae e manuscripto codice, qui in Bibliotheca Hamburgensi re-

feruatur, transcripta a Marco Guil. Müllero V. Cl in volumine primo Bibliothecae nouae philol. et crit. p. 337. seq. typis exscribi curauit Cl. Volborthius. Pausaniae editio ad manus mihi fuit ea, quae 1583. prodiit Francofurti.

Haec fere est praefatio, meae de *Geographia Homeri* commentationi praefixa eo tempore, quo eam Illustris Philosophorum Ordinis iudicio submisi. Nunc, excitatus sententia, quam de hoc qualicunque libello tulit et promulgauit Ordo Illustris, eum in lucem emitto publicam, passim emendatiorem et auctiorem, v. c. pag. 125. 126; ordinem tamen rerum, in libello pertractatarum, religiosissime intactum reliqui. Quod reliquum est, nullus dubito, B. L. fore, vt iuuentutis meae habeas rationem, et hocce specimen aequi bonique facias.

Scribebam Gottingae pridie Calend. Aug. A. O. R. MDCCLXXXVII.

CON-

CONSPECTVS LIBELLI.

Praemissis obferuationibus quibusdam generalibus primum de iis Homeri locis, in quibus omnem terrarum orbem Oceanus cingere dicitur; §. I. tum de eo: an Homero innotuerit, orbem terrarum eſſe globum; §. II. denique de mari exteriore et interiore; §. III.

GEOGRAPHIAE HOMERICAE

Sectio I. EVROPAM deſcribit. §. I-CIX. Agitur

1) de hispania, §. I. 2) de italia §. II-VIII. et de inſulis prope eam, §. IX-XIII.

2) graeciae deſcriptio §. XIV-XCVIII. incipit a tribus commentationibus, quarum prima exponitur de Graeciae et Graecorum nominibus, §. XIV. altera variae nominis Ἄργος apud Homerum ſignificationes recenſentur et explicantur. §. XV. tertia denique de Pelaſgis in vniuerſum nonnulla proponuntur. §. XVI. Excipit has

Peloponneſi deſcriptio, §. XVII-XLIV. quae incipit ab eius nominibus §. XVII. et diuiſione Homerica, ratione

 vul-

vulgaris diuifionis habita. §. XVIII. Tum fingulae Peloponnefi prouinciae fiue fingula regna depinguntur, et quidem A Argos, §. XIX. et quae ei finitima eft infula Aegina, §. XX. B. Mycenae, §. XXI-XXVIII. C. Lacedaemon, §. XXIX-XXXI. eique vicina infula Cythera, §. XXXII. D. Pylus, §. XXXIII - XXXVI. E. Arcadia, §. XXXVII-XXXIX, et F. Elis. §. XL-XLIV.

β. *Altera Graeciae pars, quae poftea Hellas fenfu ftrictiori appellata eft*, ita defcribitur, §. XLV-LXXII. vt exponatur A. de Attica, §. XLV. XLVI. et infulis prope eam; §. XLVII. B. de Boeotia; §. XLVIII-L. C. de Orchomeno; §. LI. D. de Phocide; §. LII-LIII. E. de Locride; §. LIV-LVI. F. de Aetolia; §. LVII. LVIII. G. de Acarnania et infulis ei finitimis. § LIX-LXXII. Exponitur autem a) de regionibus in continente, §. LIX. LX. et de infulis, quibus imperabat Vlyffes, §. LXI-LXIX. tum vero 2) de reliquis infulis prope Acarnaniam, Homero memoratis. §. LXX-LXXII.

γ) *Theffalia*, praemiffis nonnullis de eius nomine, finibus; § LXXIII. populis, diuifione, §. LXXIV. et Homerica generali diuifione collata cum diuifione vulgari, §. LXXV. fecundum fingulas fuas ditiones defcribitur, §. LXXVI LXXXIX. Depingitur autem A. ditio Achillis §. LXXVI LXXIX. B. Protefilai et Podarcis. §. LXXX. C. Eumeli §. LXXXI. D. Philoctetis §. LXXXII. E. Podalirii et Machaonis §. §. LXXXIII. F. Eurypyli, § LXXXIV. G. Polypoetis et Leontei, §. LXXXV. H. Gunei, § LXXXVI-LXXXVIII. et I. Prothoi, §. LXXXIX. Subiungitur Theffaliae

δ) *descriptio insularum quarundam ad Graeciam pertinentium*, §. XC-XCVIII. et quidem a) maiorum, A. Euboeae, §. XC-XCI. et B. Cretae, §. XCII-XCV. cui accedunt pauca de insula prope Cretam, Dia, §. XCVI. b) minorum, quae Cycladibus, §. XCVII. et Sporadibus §. XCVIII. annumerantur.

Expositis iis, quae de Graecia commemoranda erant, agitur

de EPIRO, §. XCIX. C. et *insula prope Epirum*, *Scheria*. §. CI. CII.

de THRACIA et quidem, praemissis nonnullis de eius finibus atque diuisione. §. CIII. α) de *Macedonia*, §. CIV. CV. β) *Thracia strictius sic dicta*, §. CVI. CVII. et γ) *Mysia*. §. CVIII.

Explicatur denique Homeri

de *Hippomolgis* locus §. CIX.

GEOGRAPHIAE HOMERICAE

SECTIO II. ASIAM depingit. §. CX CXL. Agitur in ipsa huius sectionis fronte primum de maribus, quae fere totam MINOREM ASIAM, quam vocant, cingunt; §. CXI. tum 1) de insulis maris Aegaei, quarum meminit Homerus, Asiae propioribus, et 2) de Cypro insula in mari mediterraneo sita. §. CXII. Deinde *Troas* describitur, et expositis iis, quae de Troadis finibus et incolarum nomine, §. CXIII. de Troadis diuisione §. CXIV. eiusque monte celeberrimo, Ida, §. CXV. nec non de Troadis fluminibus §. CXVI. commemoranda erant, ipsa sequitur singularum Troadis ditionum descriptio, et quidem A. ditio-

ditionis Pandari, §. CXVII. B. Adrafti et Amphii, §. CXVIII. C. Afii, §. CXIX. D. Aeneae, §. CXX. E. Hectoris, §. CXXI. F. Altae, §. CXXII. et G. Cilicum, qui trifariam diuifi erant; §. CXXIII. a) alii enim parebant Eetioni, §. CXXIV. b) alii Myneti, §. CXXV. c) alii Eurypylo, §. CXXVI.

Finita fic Troadis defcriptione, agitur de 'Αριμοις, §. CXXVII. et de Pelafgis Afiaticis, §. CXXVIII. quos excipit reliquarum Afiae, maxime minoris, prouinciarum defcriptio, *Myfiae*, §. CXXIX. *Paphlagoniae*, §. CXXX. CXXXI. *Ponti*. §. CXXXII. *Maeoniae*, §. CXXXIII. CXXXIV. *Phrygiae*, §. CXXXV. *Cariae*, §. CXXXVI. *Lyciae*, §. CXXXVII. *Pifidiae*, §. CXXXVIII. *Ciliciae*, §. CXXXIX. et *Phoenices*, §. CXL.

GEOGRAPHIAE HOMERICAE

SECTIONE III. pauca illa continentur, quae de AFRICA ab Homero commemorata funt. Exponitur autem A. de *Aegypto* §. CXLI. et de *Pharo* infula; §. CXLII. tum B. de *Aethiopia fupra Aegyptum*, §. CXLIII. C. de *Lybia*, §. CXLIV. et D. de *Meninge* infula et *Lotophagis*, §. CXLV.

PRO-

PROLEGOMENA.

§. I.

EXPLICANTVR EA HOMERI LOCA, IN QVIBVS OMNEM TERRARVM ORBEM OCEANVS CINGERE DICITVR.

Quamquam fere omnes recentioris aetatis Homericorum carminum interpretes praecise affirmant, poetae omnino non innotuisse, *orbem terrarum circumcirca Oceano coerceri:* non tamen a consilio alienum esse mihi videtur, iis de locis in ipsa commentationis fronte breuiter exponere, in quibus diserte ab Homero pronunciatum legimus, *Oceanum totum cingere terrarum orbem.* Ea autem loca, quae vulgo afferunt, Il. ξ. 200. 201. et σ. 606. 607. occurrunt.

Ad priorem horum locorum eadem ratione, vt posteriorem, explicandum, nescio, quibus caussis Strabo Geogr. lib. 1. p. 1. 3. induci se passus sit. Ille enim locus sensu, si quid iudico, strictiori accipi commode potest. Quidnam de eo iudicauerint Eustathius et Scholiorum minorum auctor, quem Didymum vulgo credunt, incertum est; quin ne dicunt quidem, si bene memini, esse, qui huncce locum *de Oceano terrarum orbem ambiente*, interpretentur. Puto tamen, quantum e scriptoris silentio colligere licet, vtrumque aliter censuisse. Verum enim vero ex altera parte peccare mihi videtur Eustathius, idem iis ex locis probare et efficere tentans, in quibus Oceanus ἀψόῤῥοος a) appellatur, quod

a) Eustath, ad Od. υ. 65. Schol, minor ad Il. σ. 399.

quod epitheton manifeste ad fluxum et refluxum maris referendum est *b*). Vtramque explicationem graeci illius vocabuli memorat Scholiastes ad Il. σ. 399., nulla tamen adiecta epicrisi.

Quamquam itaque haec loca *c*) id non probant, quod ex iis euincere studuerunt doctissimi inter veteres Homeri interpretes, verbis tamen disertis Il. σ 606. 607. poeta noster pronunciauit, *Oceanum ambire terrarum orbem*. Quaeritur, quid de hoc loco, et argumento, inde petito, statuendum sit. Mihi sane, vt rem paucis complectar, videtur Homerus id, quod hoc loco in quaestione est, non nisi coniecisse et argumento, ex analogia ducto, persuasum sibi habuisse. Vbicunque enim aut ipsi, aut aliis, qui eodem tempore viuebant, permissum fuit, ad fines vsque terrae procedere, Oceanus inueniebatur *d*). Ceterum Oceani nomine, cuius frequens in Homeri scriptis mentio, poeta quoque nunc Pontum Euxinum, Od. λ. 13. (§. CXI.) nunc sinum Arabicum, Il. α. 423. (§. CXLIII.) denotat. Forte et Tyrrhenum mare Od. κ. 508. adeoque portus haud longe a Baiis Od. κ. 511. eo nomine significatur.

§. II.

AN HOMERO INNOTVERIT, GLOBVM ESSE TERRARVM ORBEM.

Prouocat Strabo lib. I. p. 10. 11. ad Homeri locum, qui Od. ε. 392. 393. exstat, vt lectoribus suis persuadeat, Homerum docere, orbem terrarum esse globum. Grauissimis tamen, vt mea fert sententia, argumentis, quae longiore oratione persequi et com-

b) Fluxus et refluxus maris diserte meminit Homerus Od. μ. 105., vbi vide interpretes.

c) Il. ξ. 200. 201 et omnia loca, quae multa sunt, vbi Oceanus ἀψόῤῥοος appellatur. Conf. Rob. Wood Versuch über das Original-Genie Homers p. 75 76. versionis germanicae.

d) De Oceano, quo antiquissimi scriptores ambiri terram omnem tradidere, videatur *Bochartus* II. 1, 36. p. 707. et *Gesneri* commentatio prior de nauigationibus Phoenicum extra columnas Herculis in Comment. Soc. Scientt. Goetting. T. III. p. 67. seqq. §. 1. siue eiusdem Orphei editio p. 420. seqq.

comprobare nunc quidem animus non eſt, impulſus dubito, an hoc Homero innotuerit.

§. III.

DE MARI EXTERIORI ET INTERIORI.

Pauca ſunt, quae de mari et exteriori et interiori apud Homerum difertis verbis relata leguntur; nonnulla ex ipſa orationis ſerie colliguntur. Primum de exteriori videamus.

Homerus cum orientem ſolem ex Oceano coelum áſcendere dicit, Il. η. 421-423. *Oceani* ſimul *orientalis* meminiſſe dicendus eſt. Quod cum ita ſit *a*), eum de ſolis occaſu Il. ϑ. 485. 486. loquentem, *Oceanum occidentalem* denotare recte dixeris. *Borealem Oceanum* verborum ambage ſignificat, de vrſa Il. σ. 489. haec affirmans: οἰη δ᾽ἀμμορος ἐςι λοετρων Ὠκεανοιο *b*), h. e. *ſola autem exors eſt lauacrorum Oceani*, cuius loci fuſiorem explicationem vide apud Strabonem l. 1. p. 23. Euſtath. in l. aliosque interpretes. Septemtrionalia enim ſidera ſemper nobis conſpici nota res eſt. De *Oceano auſtrali* ne verbum quidem in Homeri vtroque carmine occurrit; eius enim Il. α. 423. nulla mentio (§. CXLIII.)

Mare quoque interius, licet non diferte commemoratum ſit a poeta, ipſi ſatis innotuiſſe, tot regiones, quae ei ſunt finitimae et tot inſulae in eo ſitae, quarum meminit, luculenter declarant. Quin et ſatis illud innuit poeta Il. ζ. 291.

a) Homeri coniuncturam eſſe, quae Il. α. 421-423. leguntur, putat Wood l. c.

b) h. e. interprete Schol. min.: μονη οὐ δυνει ἐις τον Ὠκεανον, h. e. *ſola non occidit in Oceanum.* De ortibus et occaſibus ſiderum, apud Homerum commemoratis vide *Pfaffianam* commentationem, anno ſuperiori ab Ordine Philoſophorum Academiae Georgiae Auguſtae praemio ornatam p. 36-38.

GEOGRAPHIAE HOMERI

Sect. I.

EVROPA.

HISPANIA.

§. I.

Quae de Hispania in Homeri carminibus relata leguntur, licet sint paucissima, nobis tamen eo exoptatiora veniunt, quo antiquior ipse est auctor, cuius scripta ea exhibent et complectuntur. Ex his enim consequens facile est, vt hoc vnum moneam, iam antiquissimis temporibus, forte nonnullis ante Homerum seculis, fuisse, qui vltimam ausi sint nauibus petere Hispaniae oram.

Missis vero iis, quae ad summam nihil faciunt, ad eas potius statim mihi properandum esse iudico de Hispania relationes, in Homeri vtroque carmine obuias, quae ad huius poetae Geographiam pertinere videntur. Hispaniae *a*) nomen apud Homerum non occurrere, nemo nescit; tamen inter omnes *b*) fere

a) Homerus vtrum fuerit in Hispania, an non? in medio relinquo. Plerosque sequor, qui Phoenices Homerum docuisse contendunt, quae de Hispania ei innotuerunt. Conf. *Gesners* commentationem Proleg. §. 1. not. d) laudatam.

b) Totus est in eo Reimmannus l. c. §. XXII. p. 265. 266. qui demonstret, nobisque persuadeat, Homerum Hispaniam cognitam non habuisse. Eum tamen hac in re errare, (etsi nonnulla contra Strabonem inprimis in medium proferat, quibus calculum qualemcunque meum adiicere non diffiteor), quis est, qui non videat?

fere constat, regionem hancce Il. ϑ. 477. sqq. Od. δ. 561. sqq. significari. Eam autem iam memorat auctor noster extremam terram in occasum sitam, nec latuit ipsum nimius illius aestus, incolis molestiam creaturus, nisi Zephyrus *dulce spirans c)* eum mitigaret. Od. δ. 567. 568. Ibi piorum sedes et Elysium campum confinxit, cuius descriptio, quam dedit Od. δ. 563. seqq. argumento nobis est, et ei quidem satis firmo, quod et Hispaniae in vniuersum felicitas et multa illa bona, quibus ea prae aliis regionibus gaudet, poetae probe innotuerunt. Denique, licet nonnulla nota fuisse Homero Hispaniae loca, haud diffitear, nullum tamen diserte commemoratum esse ab eo, omnes forte vno ore affirmaturos credo. Qui enim ex Tartari commento Il. ϑ. 481. seqq. colligeret, Tartessum, vrbem maritimam, poetae innotuisse nostro, temerariam sane admitteret argumentationem. Vide etiam Strabonem lib. III. p. 157. seqq.

I T A L I A.

§. II.

AEAEA H. E. CIRCAEVM, LATII PROMONTORIVM.

Homer. Od. κ. 133. seqq. conf. Riccii differt. Homer. Tom. III. diss. 54. p. 116-125.

Aeaeam, Αἰαίην, cuius nomen ter, Od. κ. 135. λ. 70. μ. 3. apud Homerum occurrit, omnibus his locis insulam diserte appellat poeta. In hanc Vlysses, vti docet Odysseae liber decimus, post euitatos Laestrygones saluus et incolumis delatus est.

Con-

c) λιγυπνείων Od. δ. 567. Non nisi hoc loco, si bene memini, Zephyro molle epitheton addit Homerus. Alias dicitur *vehemens*, λάβρος, ἐπαιγίζων, Il. β. 147. δυσαής, Od. ε. 295. μεγας, Od. ξ. 458. et *aquosus*, ἔφυδρος, Od. ξ. 458.

Conuenit tantum non inter omnes (Cellar. Geogr. T. I. p. 956.), Homerum *Aeaeae* insulae nomine *Circaeum*, Latii promontorium, denotare, quod promontorium ὄρος νησιάζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι, *mons, quem mare et paludes tantum non insulam faciunt,* memoratur Straboni l. V. p. 255. Quem sequutus Riccius l. c. p 117. *promontorium illud Latii*, inquit, *vbi Circe habitasse fertur, etiam nunc, antiquo retento nomine, Circaeum nuncupatum, non male insulam dixit Vates, vtpote, quod stagnis ferme sit circumdatum.* Haec mihi sententia maxime arridet, licet Theophrastus in historia plantarum l. V. c. 9. promontorium hocce dicat olim fuisse insulam, cuius mensuram LXXX stadia fuisse tradit. Homerus *Aeaeam* Circes sedem esse docet Od. κ. 135. 136. *portus* autem et *fluuii*, quos vers. 141. et 159. memorat, nomina nusquam profitetur; dubium tamen non est, quin priori loco ipsius Circeiorum vrbis portum, adeoque hanc ipsam vrbem significet. *Syluam* quoque in insula, et in ea Circes aedes, nec non *feras* in insula memorat. Od. κ. 149. 150. 159. Male Pomponius Mela l. II. c. 7. insulam nostram in freto Siculo ponit, eamque facit Calypsus sedem. Ita enim eius verba habent: *Circa Siciliam, in freto Seculo, est Aeaee, quam Calypso habitasse dicitur.* Conf. Cellar. l. c. Ad illustrandum Homeri de *Aeaea* insula locum pertinet quoque Seruii annotatiuncula ad versum quendam lib. III. Aeneid.: *qui nunc Circeius mons, inquit, a Circe dicitur, aliquando vt Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quae eam diuidebant a continente.* Sic expeditus est nodus, quo adduci se passus est Hermannus von der Hardt, vt Circes nomine Cirram et Aeaeae nomine Anticyram, Phocidis vrbes, denotari putaret.

§. III.

LAESTRYGONIA H. E. FORMIAE, LATII VRBS.

Homeri locum Od. κ. 80. seqq. de *Laestrygonibus*, quos Siciliae regionem tenuisse ferunt, (a nonnullis enim, quos inter Thucydides, de Laestrygonibus Siciliae dubitatur) accipi non posse, orationis series docet. Aeolia enim insula, h. e. Strongyle prope

prope Siciliam (§. XIII.) pulsus Vlysses, septima demum die Laestrygoniam, Lami vrbem, peruenit. Od. κ. 72-82. *Laestrygones* igitur, qui *Formias*, Latii vrbem, inhabitabant, intelligamus necesse est. Quod cum nostra aetate vix quemquam negaturum aut in dubium vocaturum existimem, reliquas rationes, quibus haec sententia nititur, omnes in medium proferre animus non est. Duorum tamen scriptorum testimoniis, Ciceronis altero, altero Plinii, confirmare et communire mihi liceat, *Formias a Laestrygonibus* antiquissimo tempore fuisse inhabitatas. Ita autem ille epist. ad Attic. II. 13.: *si vero in hanc* τηλέπυλον *veneris* Λαιστρυγονίην, *Formias dico, qui fremitus hominum? quam irati animi?* Plinius vero hist. natur. III. 5. *oppidum Formiae*, inquit, *Hormiae ante dictum, vt existimauere, antiqua Laestrygonum sedes a*). Dicuntur autem Laestrygones ἀπὸ τῆς λῃστρείας, vti idem testatur.

Ad Homerum redeo, et ad reliqua, quae de *Laestrygonibus* apud ipsum occurrunt, indicanda. Teste autem poeta nostro *anthropophagi b*) erant, Od. κ. 116-124; ceterum pecuariam faciebant, vti apparet ex Od. κ. 83-86. cuius loci vberiorem explicationem habes apud b. Ernesti in l. *Vrbs cum portu*, cuius descriptionem dedit Homerus Od. κ. 87-94. vocatur Λαιστρυγονία eaque τηλέπυλος *c*), *portas, longe a se inuicem dissitas habens d*), et

a) Cum de Laestrygonibus, qui Formias inhabitabant, ne verbum quidem, quantum scio, nec apud Strabonem, nec Eustathium, nec Didymum occurrat, scriptores hosce persuasum sibi habuisse puto, Laestrygones, qui Siciliae partem quondam tenuerunt, ab Homero commemorari. Strabo l. 1. p. 19. nonnisi tradit, eos tenuisse Siciliae regionem, Leontinis finitimam. Nec aliud quidquam tradunt Eustath. p. 1618. et Didym. ad Od. κ. 86. Inter recentiores *Vossius* V. Cl. ad Od. κ. 80 versionis Odysseae germanicae, nescio, quibus rationibus adductus, Laestrygones in Sicilia intelligendos esse monet.

b) Adde, quod sub Antiphate rege viuebant, vt explicare possis Statii *litus cruenti Antiphatae*, Syluar. lib. 1. et Silium l. VIII. 531. 532. XIV. 33.

c) Hoc tamen vocabulum etiam pro vrbis nomine, adeoque proprio, accipi potest.

d) Laestrygoniam *magnam vrbem* fuisse apparet.

et Lami αἰπὺ πτολίεθρον, 81. 82. Adde ψ. 318. Lamum enim, Neptuni filium, iis olim imperaſſe perhibent. Illius vero *portus* nomine *Caietam* intelligendam eſſe, non eſt, quod vlli dubitemus. Memorat denique poeta noſter Antiphaten, Laeſtrygonum regem *e*), Od. κ. 110. 111. coll. 104. et *Artaciam*, Ἀρτακίην, fontem, vrbi finitimam. 107. 108.

§. IV.

CIMMERIORVM TERRA H. E. AVERNVS ET REGIO CIRCA HVNC LACVM IN CAMPANIA. FLVVII.

Apud inferos, h. e. prope Auernum lacum (§. V) ponit Homerus *Acherontem*, *Pyriphlegethontem*, *Cocytum* et *Stygem* fluvios, Od. κ. 513. 514. quos tamen ad vnum omnes, vſus licentia, poetis conceſſa, ex aliis regionibus in Latii et Campaniae fines tranſtulit, *Acherontem* et *Cocytum* e Theſprotia, (§. C.) *Stygem* ex Arcadia. (§. XXXVIII.) *Pyriphlegethontem* vnde petierit, me neſcire ingenue fateor. At mirum non eſt, quod Homerus Cocytum in Stygem ſe exonerare dicat, quem in Acherontem ſe immittere conſtat; in Italia enim illi fluuii ab Homero plane ſunt conficti.

§. V.

CIMMERII.

Vlyſſem, Aeaea inſula relicta, vt ad Circes mandata *ad inferos* deſcenderet et Tireſiae vmbram de ſua, ſociorumque ſuorum fortuna conſuleret, conueniſſe *Cimmerios* docet Homerus noſter Od. κ. 587 — λ. 14. Iam cum ille Aeaeae inſulae nomine, Circaeum, Latii promontorium, ſignificet, (§. II.) Aeaeam vero a *Cimmeriis*, quos adiit Vlyſſes, non niſi iter diei diſtare tradat Od. λ. 11-14. ſatis inde apparet, *Cimmerios*, qui Pontum Euxinum (aut Caſpium mare) accolebant, intelligi non poſſe.

e) Homeri locum de Laeſtrygonum rege recte explicarunt Daceria Clariſſima et Riccius tom. III. diſſ. 53. p. 113.

posse. Nec quidquam impedit, quo minus in hac sententia perseueremus, adeo ne hoc quidem, quod eos *Cimmerios*, quos adiit Vlysses, ad fines Oceani, h. e. Ponti Euxini (§. I. Proleg. et §. CXI.) collocat ipse Homerus Od. λ. 13. Potius eos intelligendos esse, qui inter Baias et Cumas, h. e. regionem circa Auerni lacum olim incolebant, Homeri interpretes, si bene memini, omnes praecise affirmant *a*). Finxit igitur poeta *Cimmerios* tum temporis in Italia degentes, hosque ponit in ea regione ad Pontum Euxinum, quae prima fuit et natiua quasi Cimmeriorum sedes. Quod quidem, quae est potestas, poetis concessa, fecisse dicendus est, vt eo maiorem carmini suo ornatum conciliaret, remque, quam tractat, faceret mirabiliorem. Breuitatis ergo Homeri de perpetuis tenebris, quas Cimmeriorum terram premere dicit, narrationem Od. λ. 15. - 19. silentio praetermitto totam, quippe quae explicata satis est a Celeberrimo Heynio ad Tibull. l. c. Homerus non nisi significare voluit syluosam circa Auerni lacum regionem, id quod clarius fecit Od. κ. 509. 510. Quod reliquum est, πολιν, quam memorat Vates Od. λ. 14 Cimmerium oppidum appellatam, et iuxta Auerni lacum sitam fuisse, discimus e Plinii histor. nat. libro III. cap. 9.

§. VI.

GIGANTES, CAMPANIAE POPVLVS, A PVTEOLIS VSQVE AD BAIAS ET CVMAS.

Gigantum nomine significat forte Homerus Od. η. 59. 206. κ. 120. vastos quosdam et robustos homines, qui communem hominum staturam excedebant, quorum tamen nomina ignoramus, nisi *Gigantum* nomen proprium fuit hisce hominibus. Ponuntur plerumque in Phlegraeis campis a Puteolis vsque ad Baias et Cumas, ad quos etiam eorum pugnam reuocarunt

a) Confer scriptores, quos laudat Ill. Heyne ad Tibull. IV. 1, 64. p. 172. edit. alter.

runt veteres. Apollodor. l. 1. cap. 6. §. 1. Strabo lib. V. p. 268. coll. 265. 266. Sicut autem Phlegrae nomen ad alia quoque loca traductum est, terrae motibus obnoxia, et subterraneis ignibus combusta: ita Homerus quoque Gigantes in Sicilia ponere videtur prope Cyclopes. Vide Od. η. 206. qui tamen locus varie exponitur et exponi potest, siquidem Gigantes et Cyclopes propingui dicuntur Homero ἤτοι κατα γενος, ἢ κατα τοπον, ἢ κατα ἀδικιαν, vti habent verba Scholiastae ad h. l.

§. VII.

ALYBAS, QVAE POSTEA METAPONTVM, LVCANIAE VRBS.

In regione, quae postea Lucania appellari coepit, sita est *Metapontum* vrbs, quam Scholiorum minorum auctor non diuersam esse tradit ab *Alybante*, Homero Od. ω. 303. memorata. Male autem Alybantem rursus eandem esse dicit, quae Alybe, Ἀλυβη, cuius mentionem iniecit poeta Il. β. 857. Alybe Ponti regio erat in Asia minori. (§. CXXXII.)

§. VIII.

TEMESA, QVAE POSTEA TEMSA SIVE TEMPSA, VRBS IN BRVTTIORVM REGIONE.

Veterum et recentiorum Homeri interpretum bona pars poetae nostri locum, qui exstat Od. α. 184. de *Temesa*, vrbe in Bruttiorum agro sita, intelligit, propter metalla et ipsi Homero celebrata. Strabo l. VI. p. 284. de Temesa Italiae haec habet: ἀπο — Λαου πρωτη πολις ἐςι της Βρεττιας Τεμεση, Τεμψαν δ' οἱ νυν καλουσιν, Αὐσονων κτισμα, κ. τ. λ. *prima a Lao vrbs Bruttiorum est Temesa, quam Tempsam nunc dicunt, ab Ausonibus condita* cet. Ibidem paullo post δεικνυνται inquit, χαλκουργεια πλησιον, ἁ νυν ἐκλελειπται, *ostenduntur officinae aerariae in vicinia, quarum tamen hodie defecit vsus.* Quae sententia licet omnino probanda videatur, non defuerunt tamen inter veteres, qui Τεμεσην Homericam de Tamasso, Cypri vrbe, acceperint. Vid. Didym. ad Od. α. 184.

IN-

INSVLAE PROPE ITALIAM.

§. IX.

1) INSVLA MAIOR: SICILIA.

Siciliae et insulanorum nomina, insulae fertilitas, fretum siculum, Scylla, Charybdis.

Sicilia apud Homerum a) Κυκλωπων γαια, *Cyclopum terra*, Od. ι. 106. 117. 166. a Cyclopibus eam tenentibus, (§. X.) et Σικανιη, *Sicania*, Od. ω. 306. appellatur. *Sicania* cognominata est a Sicanis, quos Dionysius Halicarnassensis l. 1. p. 17. γενος Ἰβηρικον, *gentem Hispanam*, appellat. Sic etiam Thucydides lib VI. princ. Sicanos Siciliae ἀπο του Σικανου ποταμου, του ἐν Ἰβηριᾳ, *a Sicano fluuio Hispaniae* deducit; procul dubio tamen Sicorim, Hispaniae fluuium, in animo habuit. Caussam migrationis Sicanorum in Siciliam Dionysius Halicarnassensis l. c. aperit his verbis: κατειχον αὐτην Σικανοι γενος Ἰβηρικον, οὐ πολυ προτερον συνοικισαμενοι, Λιγυας Φευγοντες, *Sicani eam* (insulam Siciliam) *tenebant, gens Hispanica, quae pulsa ab Liguribus, paullo ante ibi habitare coeperat* Ipsum quoque *Siciliae* nomen iam Homeri aetate in vsu fuisse, e Siculorum nomine, Homero Od. υ. 383. memorato, facile efficitur. *Siculi* autem ex Italia perhibentur Siculo ductore, a quo et ipsi appellati sunt, hanc in insulam venisse. Vid. Sil. Ital. lib. XIV. 37. 38. Insulam ipsam sine cultura fertilem tradit Vates Od. ι. 108-111. Mythum, ipso Homero vetustiorem, de bubus et pecudibus solis, (vnde Sicilia Solis insula audit Apollodoro aliisque), quem ille Od. μ. 127. seqq. edisserit, explicauit Illustris Heynius ad Apollod. p. 214. seqq.

a) *Thrinaciae*, Θρινακιης, nomine Vates Od. λ. 106 μ. 127. 135. τ. 275. non Siciliam, vt vulgo putant (vide et Reimmannum §. XXXII. p. 279) sed exiguam quandam insulam, e regione Aetnae haud procul a continente denotare videtur, quae insequuto aeuo ipsi Siciliae continenti iuncta est.

feqq. Praeterea Homerus *freti* etiam *Siculi,* vti noftra aetate vocatur, Od. μ. 234-236. et, quae funt in eo, *Scyllae* et *Charybdis* Od. μ. 73. feqq. diferte facit mentionem.

§. X.

POPVLI.

Cyclopes, Κυκλωπες. Locus claſſicus de *Cyclopibus* exſtat Od. ι. 106. feqq. Poeta eos nofter in illa collocat Siciliae parte, quae occidenti foli fubiecta eft; Virgilius autem aliique recentiores poetae, fedem eorum circa Aetnam fuiffe tradunt. Diuerfi funt et a Cyclopibus theogoniae, Argo, Sterope, Bronte, et ab iis, quos Tirynthem muniuiffe ferunt (Conf. Heyne V. Cl. ad Apollod. p. 10.) Cyclopes, ad quos Vlyffem tertio errore, relictis Lotophagis, delatum effe narrat Homerus Od. ι. 105. feqq. Cyclopes, de quibus hoc loco quaeftio eft, *anthropophagi* erant, Od. ι. 289-293. 311. 314. vti Laeftrygones; iidem paftoritia quoque vita gaudebant (§. III.). Frugibus fponte natis, tritico, hordeoque vefcebantur, et vino e labrufcis indulgebant. Od. ι. 110. 111. Praeterea Vates eos nofter memorat legibus nullis aut ftatutis adftrictos effe, patri familias obedientiam et obfequium praeftare, 106. 112. deos curare nullos, 275. fpeluncas in fummis montibus inhabitare, 113. 114. nauibus non modo carere omnibus, fed ipfius nauium fabricae plane ignaros effe, 125-127. Hactenus ea, quae a vero recedere mihi non videntur. Reliqua autem, poetae noftro de Cyclopibus memorata, taceo; fabulam enim fapiunt. Nec fane mirum eft, multis fabulis permixtam effe eorum hiftoriam, quippe qui ab antiquiffimis inde temporibus Siciliam inhabitaffe dicuntur; quin fi fides habenda eft Iuftino lib. IV. cap. 2. primi omnium Cyclopes eam tenuerunt. Hactenus dictis vnicum Strabonis locum de *Cyclopibus vnoculis*, qui lib. I. p. m. 20. occurrit, fubiungam. Ταχα δε και, inquit, τους μονομματους Κυκλωπας εκ της Σκυθικης ιστοριας μετενηνοχε. Τοιουτους γαρ τινας

τους

τους Ἀριμασπους φασιν, οὑς ἐν τοις Ἀριμασπειοις ἐπεσιν ἐκδεδωκεν Ἀρισεας ὁ Προκοννησιος, *fortaſſis etiam vnoculos iſtos Cyclopes e Scythica tranſtulit hiſtoria; tales enim ferunt eſſe Arimaſpos quosdam, quos in Arimaſpeis carminibus edidit Ariſteas Proconneſius.*

Laeſtrygones, Λαιςρυγονες. Fuerunt, maxime inter veteres Homericorum carminum interpretes, qui *Laeſtrygones* in Sicilia Homero memoratos eſſe crederent. At vide ſis, quae §. III. dicta ſunt.

Siculi, Σικελοι. Od. υ. 383. Hi igitur iam ante bellum troianum Siciliam inhabitaſſe dicendi ſunt. A Siculis etiam inſulae Siciliae nomen impoſitum eſt. Conf. §. IX.

Sicani, Σικανοι, nominatim Homero non memorati. Eos tamen Vati probe innotuiſſe, ex *Sicaniae* nomine, quo antiquitus Sicilia vocabatur, quodque Od. ω. 306. occurrit, probabile eſt. Ceterum Sicanos primos poſt Cyclopes inſulam tenuiſſe, e Silio Italico XIV. 33. ſeqq. colligere licet.

Elymi, Ἐλυμοι. Neptunum Homerus Od. ε. 283. *ex Solymorum montibus* (qui ſunt in Piſidia, Aſiae minoris regione, §. CXXXVIII.) Vlyſſem vidiſſe narrat, haud longe a Phaeacum terra (h. e. Corcyra inſula §. CI.) nauigantem, hancque inſulam petentem. Quam tamen narrationem nimis a vero abhorrere facile intelligitur. At nihil plane abſurdi ineſt huic fabulae, ſi legeris ἐξ Ἐλυμων; ſcriptum vero eſt: ἐκ Σολυμων. Erat autem *Elymorum* ſedes circa Erycem, Siciliae montem, verſus occidentem. Conf. Ill. Heynius ad Virg. Aen. V. Excurſ. I. et III.

§. XI.

HYPEREA, SICILIAE VRBS.

Hyperea, Ὑπερεια, eaque εὐρυχορος, ſita perhibetur haud longe a regione, quam Cyclopes tenebant. Olim ea habitabatur a Phaeacibus, qui tamen, Cyclopum vexationibus obnoxii,

 vrbe

vrbe ſua relicta, in *Scheriam* (Corcyram §. CI) inſulam ſeſe contulerunt. Haec ipſe Homerus nos docet Od ζ. 3-8 Satis igitur e poeta noſtro apparet, *Hypeream* fuiſſe *vrbem*, in ipſa Siciliae continente ſitam, ideoque inanis eſt omnis eorum diſputatio, qui multum in eo deſudarunt, vt, quaenam fuerit Hyperea inſula, tandem diſcerent. Etenim, ſi Hypereae nomine inſula ſignificaretur, Siciliae finitima, inſulani expertes fuiſſent iniuriae a Cyclopibus ipſis illatae, quippe quibus nauis, adeoque nauium fabrica cognita plane non erat. Od. ι. 125-127. Sita autem eſt Hyperea in meridionali inſulae parte; poſtmodum *Camarina* appellari coepit. Euſtath. p. 1549.

§. XII.

2) INSVLAE MINORES, ET QVIDEM
A) PROPE ITALIAM.

Inſulas Pithecuſas permulti putant Homero Il. β. 783. memoratas. Nimirum Virgilius Aen. IX. 716. et qui eum ſequuti ſunt poetae, quos ſingulos nominat Clarkius ad Il β. 783. poetae noſtri verba εἰν Ἀρίμοις mutarunt in *Inarime*, quo vocabulo ab illis *Pithecuſae inſulae* denotantur. Vide tamen, quae infra §. CXXVII. dicta ſunt.

Sirenum inſula, Od. μ. 167. Homerus non niſi vnam commemorat; tres autem hodiedum numerantur, ſitae haud procul a Mineruae promontorio in Campania. Ceterum notiſſima ſunt, quae de Sirenibus fama vulgauit.

§. XIII.

B) PROPE SICILIAM.

Aeolia, Αἰολίη. *Aeolias inſulas* Homero innotuiſſe omnes dubitabile non eſt. Earum autem non niſi vnam commemorat Vates *Aeoliae* nomine inſignitam. Od. κ. 1. 55. Daceria clariſſima variis argumentis probare tentat, Homerum innuiſſe Liparam, quam

quam tamen ſententiam amplecti nequeo, praeſertim cum ſint minus firma illa Daceriae clariſſimae argumenta. Strabonis potius ſententiam amplectendam eſſe iudico, (id quod et plerique faciunt, Euſtathius p. 1644. aliique) qui *Strongylen* eſſe contendit, Aeoli regiam eam appellans. Lib. VI. p. 309. 310. Exſtat et recentius teſtimonium, quod declarat, ſpirantium ventorum murmura, qualia Homerus Od. κ. 10. deſcribit, mire ad *Strongylen* quodrare *a*).

Inſulam hancce poeta Od. κ. 3. πλωτην appellat. Ἀιολιη autem πλωτη vel erit *Aeolia natatilis*, id quod v. c. et de Delo inſula narrant, vel *circumcirca nauigabilis*. Prior expoſitio plerisque arridet, et magis probanda videtur. Conf. Voſſii, V. Cl. notam ad h. l. verſ. germ. Locus ille Homericus, qui eſt Od. κ. 4. ita debet explicari, vt tota extremitas inſulae ſaxis cingi dicatur, fluctuum appulſu laeuigatis. *Vrbis* nomen, quam commemorat Vates Od. κ. 13. nusquam profitetur. De Planctis, quas Homerus Od. μ. 61. prope Aeolias inſulas ponit, videat. §. CXI.

Thrinacia, Θρινακιη. Od. λ. 106. μ 127. 135. τ. 275. Vid. §. IX. not. *a*).

Ogygia, Ὠγυγιη, Calypſus inſula, Od. α. 50. (vbi cum Strabone legendum videtur Ὠγυγιη) 85. ζ. 172. η. 244. 254. μ. 448. δενδρηεσσα, *ſyluoſa*, Od. α. 51. Hanc in inſulam Vlyſſes, euitata eorum ira, ob mactatas ſolis boues in ſe concitata, delatus eſt, Od. μ. 447. ibique ſeptem annos vixit. Od. η. 259. Ogygiam appellatam ferunt

a) Teſtimonium hocce ex Riccio (Diſſ. Homer. tom. III. diſſ. 52. p. 96. 97.) tranſcribere mihi liceat. Memini, inquit ille, me legere apud Theuenotum, celebrem ſcriptorem e Gallia, qui proxime exacto ſeculo magnam orbis terrarum partem peragrauit, ſuasque literis tradidit peregrinationes, non procul a Strongyle, quam corrupte hodie Strombolem appellant, magnos exaudiri velut vlulatus, quos ſuperſtitioſus popellus putat a Manibus edi ob teterrima, quae ſub Acheronte patiuntur cruciamenta. Hunc ille ridiculum errorem refellens, fremitum docet eſſe ventorum, qui horrendum in modum in ea inſula deſaeuiunt et colluctantur.

ferunt ab Ogyge, Thebanorum rege; poſtea dicta eſt *Gaulus*, quae ne cum Caudo, vel Gaudo, quae eſt prope Cretam, confundatur, ſedulo cauendum eſt. Confuſa ſunt haec nomina ab ipſo Strabone l. VI. p. 310. et l. VII. p. 339. niſi forte vetus amanuenſis vtroque loco Γαῦδος ſcripſit pro Γαῦλος.

GRAECIA.

§. XIV.

GRAECIAE ET GRAECORVM NOMINA.

Ad declarandam Graeciae antiquiſſimae faciem, qualem eam depingit Homerus, aditum mihi iamiam quaſi aperio obſeruatione quadam Ill. Heynii ad Apollod. p. 241. *Obtinet fere is*, inquit ille, *inter antiquos ſcriptores mos, vt nomina locorum, interdum epitheta, in antiquis carminibus obuia, pro antiquioribus terrarum appellationibus habeant. Aliud, quod non minus temere facere videntur, eſt, quod nomina vetuſtiſſima referre ſolent ad latiſſimos regionum ac terrarum fines; id quod omni rerum rationi aduerſatur.* Quo poſito et conceſſo, hoc me cuilibet probaturum confido, *Graeciam antiquam Homeri aetate nondum communi quodam nomine fuiſſe appellatam.* Vnicum fere, ſi a Thucydidis teſtimonio lib. I. princ. receſſeris, at grauiſſimum ad ſtabiliendam ſententiam hancce argumentum, ex ipſis Homeri ſcriptis eſt petitum, quippe qui ad Graeciam totam ſignificandam, nunc hoc, nunc illo nomine vtitur, quo proprie celebrior quaedam antiquae Graeciae regio vocabatur. At vero, licet ſolis luce clarius eſſe videatur, nominis Graeciae communis ne veſtigium quidem in vtroque poetae carmine exſtare, fuerunt tamen, qui aliter ſentirent. Ipſe Strabo, par locorum ex Odyſſea excitans *a*), probare tentat, vniuerſam Graeciam *Hellada*, Ἑλλάδα, ab Homero appel-

a) Od. α, 344. ο. 80. Conf. Strabo lib. VIII. p. 425. lib. XIV. p. 759.

appellari. At ex omnibus fere locis, in quibus apud Homerum Helladis nomen occurrit, liquido apparet, non nisi exiguam Thessaliae partem poetae nostri aetate Hellada fuisse dictam; Phthiam enim, Thessaliae vrbem, Helladi interdum subiungit *b*). Certe et Pausanias l. III. p. 103. Homeri tempora, aut potius belli troiani aeuum, respicit, Hellada olim non nisi Thessaliae partem, postea vero omnem Graeciam appellatam fuisse praecise affirmans. Latiori tamen sensu Hellas quoque apud Homerum occurrit, de quo mox dicturus.

Missis nunc iis, Strabonis sententiae, quam nostra aetate vix quisquam probauerit, oppositis, veniamus ad ea Graeciae regionum nomina, quibus omnem Graeciam Homerus designat. Huc primum pertinent pleraque loca, in quibus 'Αχαιῒς γαῖα seu αἶα, *Achiua terra* occurrit, quod nomen proprie Peloponnesum notat. Peloponnesus autem dicta est Achaia ab Achaeis, qui, Thessalia relicta, in Peloponnesum sese contulerunt. Achaiae tamen nomine Homerus quoque vtitur, vt omnem Thessaliam exprimat. Etenim et ea Thessaliae regio, quam Achaei, Peloponnesum petentes, reliquerant, Achaia vocabatur, ab Achaeo, Xuthi filio, qui ibi regnum condiderat, (illud autem condiderat in Phthiotide.) *c*) Caue igitur, ne loca, de Thessalia intelligenda, cum iis confundas, quibus omnem Graeciam exprimit Homerus. Hanc intelligit Il. α. 254. Od. λ. 165. 480. ν. 249. Thessaliam vero Il. γ. 75. (nisi adeo hoc loco omnem Graeciam denotat, excepta Peloponneso) λ. 769. Od. φ. 107.

Tum, quae interdum iungit Homerus *Hellas* et *Argos* nomina *d*), commode de tota Graecia accipi possunt, ita, vt hoc nomine

b) Il. β. 683. Od. λ. 495.

c) Quae hactenus ex historia attuli, desumta sunt e Pausan. lib. VII. princ. pag. 205.

d) Od. α. 344. δ. 726. 816. ο. 80.

nomine meridionalem Graeciae partem, Peloponnefum dico, illo autem partem feptemtrionalem, feu Hellada, poltea ftricte fic dictam, et Theffaliam fignificare poeta dicatur *e*). Cum ita fe res habeat, eorum fententia prorfus reiicienda videtur, qui, quotiescunque apud Homerum vocabulum Hellas occurrit, toties aut Hellada Theffaliae, et regionem huic finitimam, aut Theffaliam omnem intelligunt. Vrbs Hellas non nifi iis in locis intelligi poteft, in quibus Phthiae fimul meminit Homerus. At vero ne hoc quidem vniuerfe valet. Homerus enim, vti mihi quidem videtur, Il. ι. 474. 475. Helladis nomine Theffaliotidem ftrictius fic dictam, per Φθίην, *Phthiam*, autem Phthiotidem fignificat. (§. LXXVI.) Fuerunt denique inter veteres poetae noftri interpretes, in quorum numero Strabo lib. VIII. p. 424. et Euftathius ad Il. ο. 372. p. 1020. qui ex *Argiuorum* nomine, quo omnes Graecos Homerum vocare conftat, efficere tentauerint, totam Graeciam *Argos* quoque eo tempore fuiffe dictam. En tibi nouum exemplum, faciens, vt fidem habeas obferuationi Heynianae, fupra commemoratae.

Graecos in vniuerfum Homerus nunc *Danaos*, nunc *Achiuos*, nunc *Argiuos* appellat, quorum nomina fexcenties apud poetam noftrum occurrunt. *Danai*, quorum nomen, vti videtur, antiquiffimum eft, quo omnes Graeci comprehendebantur, dicti funt a Danao, qui Beli filius et Aegypti frater perhibetur. Apollod. l. II. c. 1. §. 4. Danaus ex Aegypto Argos profectus, tefte Euripide in Archelao apud Strabonem (lib. V. p. 245. lib. VII. p. 373. lib VIII. p 436, quibus locis adde Paufaniam lib. II. p. 58.) Pelafgiotas iuffit Danaos appellari. Caue autem, ne omnes Graecos olim Pelafgos dictos ftatuas, faltem, ne ex Homero probes, qui fatis declarat, huius nominis vim fua aetate fuiffe reftrictam. Il. β. 840. feqq. *Achiui* et *Argiui* a potiori dicuntur Graeci, nimirum a celeberrimis, quae tunc temporis erant,

e) Simili modo praeclare Graecia omnis a Virgilio Aen. I. 284. 285. per *Phthiam*, *Mycenas* et *Argos* declarata, aut per *Argos* et *Mycenas*, Aen. VI. 839.

erant, Graeciae regionibus. Speciatim vero Peloponnesum qui tenuerunt, *Achiuos* fuisse appellatos, non ea solum loca declarant, in quibus Peloponnesus Ἀργος Ἀχαϊϊκον, *Argos Achaicum*, (§. XV.) dicitur, sed etiam ex Il. β. 562. liquido apparet. Etenim κουροι Ἀχαιων, *filii Achiuorum* nihil aliud significat, ac si simpliciter dixisset Ἀχαιοι, *Achiui*. Quin et Ithacenses Ἀχαιων nomine denotat Od. α. 90. Nomen Πανaχαιους, *omnes Graecos*, Il. β. 404. κ. 1. τ. 193. ψ. 236. Od. α. 239. cet. de Graecis in vniuersum esse intelligendum, apud omnes in confesso est. At nomen Πανελληνες, *omnes Hellenes*, Il. β. 530. interpretum Homeri distinet consensum. Vulgo Graecos omnes intelligunt, coeco adsensu probantes Strabonis sententiam lib. VIII. p. 425., cui tamen hac in re calculum adiicere qualemcunque meum diffiteor. Minus a vero recedit Eustathii sententia, qui Πανελληνων nomine omnes Thessalos intelligit *f*). Rectius tamen non nisi ii Thessa-

f) Ita habent Eustathii verba ad Il. β. 530. p. 573. Polit. (p. 277. ed. Rom.) το Πανελληνας δε, οὐ κατα Ζηνοδοτον, ἀλλ' Ὁμηρικως ἑρμηνευτεον, κατα τους Παλαιους, λεγοντας το Πανελληνας και Ἀχαιους, ἀντι του Θεσσαλους και Ἀργειους, ἱνα ἀντιδιαιρῃ τοις ὁλοις Ἀργειοις τους ὑπο τῳ Ἀχιλλει, λεγομενους ἰδιως Ἑλληνας, κατα τινα ἐξοχην, h. e. *quod dicit* Πανελληνας, *omnes Hellenas*, *non iuxta Zenodotum explicandum est, sed Homerico sensu iuxta Veteres auctores: quippe qui illud* Πανελληνας και Ἀχαιους, *omnes Hellenas et Achiuos dictum accipiant pro Thessalis et Arginis, ita vt a ceteris omnibus Argiuis distinguat eos, qui sub Achillis imperio, proprie ac speciatim, singulari quadam praerogatiua, Hellenes appellabantur.*

Ceterum quod attinet ad omnem illum locum, qui Il. β. 528-530. exstat, iam ab antiquissimis inde temporibus tres hosce versus aliena manu adscriptos, Homero indignos, et e textu eiiciendos esse Grammaticorum vulgus atque temeritas indicauit. Cum vero seuerius de auctoritate huius loci iudicium ad rem criticam pertineat, breuissimis de ea exponam. Plerique omnes tres, nonnulli, quos inter Zenodotus, non nisi duo posteriores versus spurios iudicarunt. Tria, quatuorue afferunt Veteres argumenta, quibus nouum adiecit Clarkius, ad Πανελληνας και Ἀχαιους pertinens, quae tamen singula commemorare

et

Theſſaliae incolae intelliguntur, qui Achillis imperio ſuberant, Ἀχαιῶν autem nomine, quod eis Il. β. 530. opponitur, reliqui omnes Graeciae populi. At enim vero non omnino reiicienda eſt Graeuii ſententia (Vid. eius lectiones Heſiodeas) qui Πανέλληνας de omnibus Graecis, exceptis iis, cui imperabat Achilles, de his vero Ἀχαιοὺς l. c. accipit. (§. LXXVII.)

§. XV.

VARIARVM NOMINIS Ἄργος SIGNIFICATIONVM RECENSIO ET EXPOSITIO.

Argos nomen, cum varia Homero ſignificet, ſiue nudum poſitum ſit, ſiue addito epitheto, liceat mihi praecipua loca, in eius vtroque carmine obuia, in quibus haec vox occurrit, colligere, omnia enim enumerare moleſtum eſt, et quid vbique denotet, breuiter explicare, vtſemel dicta ſaepius infra repetere neceſſe non habeam.

Homerum plerisque in locis, in quibus hac voce, nude poſita, vtitur, *Peloponneſum* exprimere, obuia res eſt, et obſeruatum iam Euſtathio *a*). Ita autem dicitur ab Argo, qui ibi regnavit. Apollod. lib. II. cap. 1. §. 2. Nonnunquam tamen minores eo nomine regiones ſignificantur. Nimirum

et dubitationes de fide et auctoritate huius loci motas tollere, hic nihil attinet. Modo mihi concedatur, quod longiore oratione facile probare me poſſe puto, argumenta illa nullo negotio refutari poſſe omnia. Tres illas veterum Grammaticorum rationes futiles eſſe, ipſe oſtendit Clarkius, qui tamen ſuum, ex Zenodoto apud Euſtathium, et ex Thucydide apud Barneſium petitum multo maioris momenti eſſe credit. Huic vero, ſane enim eſt grauiſſimum, ſatisfeciſſe me puto, cum ſententiam meam de verbis Πανέλληνας καὶ Ἀχαιοὺς in medium prolatam, probaueris. Denique, vt hoc vnum addam, grauiſſimum eſt ad auctoritatem huius loci probandam, ſaltem defendendam argumentum, quod eum, ſi bene memini, ne vllus quidem veterum Grammaticorum in vllo Codice deeſſe tradit. Conf. et Politi annot. ad Euſtath p. 571.

a) Euſtath. ad Il α. 30. p. 65. Polit. Vid. et Il. β. 108. ζ. 152. 456. ι. 22. ν. 227. Od. α. 344. δ. 726. 816. ε. 80.

mirum *peninfula Argolica*, fiue Argiuorum refpublica Od. δ. 174. *Argos*, Phthiotidis vrbs, Il. ζ. 456. et *Argos*, vrbs Peloponnefi, eaque Argiuorum reipublicae primaria, cui Diomedes imperabat, intelligi debet. Il. β. 559. δ. 52. Male Pfeudodidymus Il. β. 559. omnem Peloponnefum intelligit. *Peloponnefum* porro toties expreffit Homerus, quoties Ἄργος nomini epitheton adiecit, fi ab vnico loco receffèris, qui Il. β. 681. exftat. *Pelafgicum* enim *Argos* cuius h. l. meminit Homerus, de Argis, Theffaliae vrbe, intelligi debet, Achillis imperio fubiectis. (§. LXXIX) Theffalia enim vocabatur quondam Pelafgia Schol. ad Il. β 681. At Strabo l. V. p. 244. et lib. VIII. p. 424. contendit, Homerum Pelafgicum Argos memorans, eam intelligere Theffaliae partem, quae eft inter Penei oftia et Thermopylas ad vsque montana Pindi; quae tamen doctiffimi fcriptoris fententia neutiquam probanda effe mihi videtur. (§. LXXIX.) Homerus autem Peloponnefum dicit Ἄργος Ἀχαιϊκὸν, Ἴασον, πολυδίψιον ἱππόβοτον, et πολυπυρον de quibus fingulis nunc videamus.

1. Ἄργος Ἀχαιϊκὸν. Il. ι. 141. 283. τ. 115. Sic dicta eft Peloponnefus, ex quo Achaei plurimum in Peloponnefo valebant. Archander enim et Architeles, Achaei filii, Phthiotide relicta, Peloponnefum commigrarunt, vbi, Argis, Lacedaemone aliisque peninfulae huius regionibus et vrbibus in fuam poteftatem redactis, virtute ita excelluerunt, vt illa, Argos tunc temporis dicta, ab iis Argos Achaicum appellari coeperit. Strabo lib. VIII. p. 420. Paufan. lib. VII. p. 206. Quin et fpeciatim *Laconicam* Argos appellatam fuiffe, non Menelai folum verba Od. γ. 251. declarant, fed etiam ex tot locis abunde cognofcitur, in quibus Helena, Lacedaemone oriunda, Argiua appellatur *b*).

2.

b) Il. β 161. 177. γ. 458. ι. 140. Od. δ. 184. 296. cet. Conf. Strabo l. VIII. p. 420. et Euftath. ad Il. β. 161. p. 371. et p. 620. Polit.

2. Ἀργος Ἰασον. Od. σ. 245. a Iaſo, Argi et Euadnae filio, Peloponneſi rege. Apollod. l. II. cap. 1. §. 2. Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 245. Pauſan. l. II. p. 58.

3. Ἀργος πολυδιψιον. Il. δ. 171. Epitheton, ſoli peninſulae Argolicae proprium, Homerum h. l. ad totam Peloponneſum transferre videmus. Memorant enim, Neptunum, iratum Inacho, eiusque amicis, qui Argolidem non in Neptuni, ſed in Iunonis tutela eſſe contenderant, maximam huius regionis partem inundaſſe, deinde vero, ab ipſa Iunone rogatum, mare deduxiſſe. Tum incolae, vt aliqua certe gratia redderetur, vtque tanti ſe beneficii memores oſtenderent, templum aedificarunt, Neptuno προσκλυστῳ, *Inundatori*, ſacrum. Pauſan. l. II. p. 64. Mari deducto, fieri non poterat, quin limus et arena omnem tegerent peninſulam, ita vt tanta laboraretur aquae inopia, vt Danaides fontes ſuſcitari curarent c). Quibus ſic expoſitis, nihil abſurdi ineſſe in hoc epitheto, liquido quisque intelliget. Quae tamen cum Strabonem laterent, factum eſt, vt ſcriptor hicce alias epitheti iſtius explicationes meditaretur, quae exſtant lib. VIII. p. 425. 426.

4. Ἀργος ἱπποβοτον, ***equis aptum***, quod ſaepius occurrit, v. c. Il. β. 287. γ. 75. ζ. 152. Od. γ. 263. ο. 239. 274. et Ἀργος πολυπυρος, *tritici ferax*, Il. ο. 372. fuſiori explicatione indigent nulla.

§. XVI.

DE PELASGIS IN VNIVERSVM NONNVLLA.

Quaenam fuerit natiua Pelasgorum ſedes, e qua inſequuto aeuo, maxime diluuii Deucalionei tempore, vt memorant, in alia loca migrarunt, iam in medio relinquatur, quippe quae dif-

c) Ex hac fodiendorum puteorum cura nata eſt, vti videtur, notiſſima illa de Danaidibus fabula, Nat. Com. l. IX. cap. 17.

disputatio ab argumento, quod tractandum mihi sumsi, plane est aliena. Meum est, obseruare, et ex Homero constare, Pelasgos vagos et errabundos paterna domo in alias regiones sese contulisse. Discimus autem ex Homero errabundam hanc gentem habitasse:

1. Thessaliae partem, cuius vrbem Argos ea de caussa Pelasgicum dixit Vates Il. β. 681;
2. Epiri loca, maxime in conterminis Dodonae, vnde Iupiter Dodonaeus Homero Il. π. 233. Pelasgicus audit;
3. Cretae insulae partem, Od. τ. 177. nec non
4. regionem quandam, Cilicum in Troade regioni finitimam.

I. PELOPONNESVS.

§. XVII.

PELOPONNESI NOMINA.

Aegialeam vulgo antiquissimum Peloponnesi nomen perhibent, ab Aegialo, Inachi et Meliae Nymphae filio, fratre autem Phoronei, ipsi impositum. Apollod. lib. II. cap. 1. §. 1. Addunt alii, Aegialum fuisse Sicyoniae regem, Pausan l. II. p. 49. et lib VII. init p. 205. vt nouo documento comprobent, obtinuisse eum inter veteres morem, vt terrarum nomina ab antiquis regibus deducerent. At ex Homero facile intelligitur, non nisi eam Peloponnesi regionem, quae postea Achaia appellari coepit, Aegialum fuisse dictam. Il. β. 575. Nec aliter Aegiali nomen Strabo lib. VIII. p. 437. Pausan. lib. V. princ. p. 147. lib. VII. princ. p 205. 206. aliique, quorum nomina recensere molestum est, acceperunt. Quin et ipsum regionis huiusce nomen, ab αἰγιαλος (quae vox *litus* significat) deducendum, *propter vrbes in litore per ordi-*

ordinem dispositas, vti dixit Plinius H. N. IV. 5. totam Peloponnesum intelligere vetat. Tota Peloponnesus antiquo aeuo *Argos* dicebatur, quo eam nomine, aut nude posito aut addito epitheto, etiam Homerus multis in locis notat, quorum nonnulla §. XV. iam a me sunt collecta *a*). Iam vero attentum homericorum carminum lectorem fugere nequit, poetam nostrum non nisi hoc nomine *b*) Peloponnesum significare. Qui enim, prouocantes ad Nestoris verba Il. α. 270. *ἐκ Πυλου ἐλθων Τηλοθεν ἐξ 'Απιης γαιης*, *e Pylo profectus, procul ex Apia terra*, Apiam Peloponnesi nomen, Homero memoratum, dicunt, facili negotio refutantur. Etenim non nisi ea de caussa sic statuerunt multi, nec desunt nostra aetate, qui ita statuant *c*), quoniam Pylus sita est in Peloponneso. Quam tamen sententiam duo alia loca, in Homeri scriptis obuia, Od. η. 25. et π. 18. plane infringunt. Ex laudatis enim locis liquido apparet, *Apiam* simpliciter remotiorem denotare regionem, id quod iam antiquis Homeri interpretibus, Straboni lib. VIII. p. 426. Eustathio *d*) Di-

a) 'Αργος ἱπποβοτον, Il. γ. 75. Scholiorum minorum auctor Thessaliam significare contendit, licet reliqua loca, in quibus 'Αργος ἱπποβοτον occurrit, recte de Peloponneso accipiat. At plane non video, cur ille locus aliter accipi debeat atque explicari.

b) Strabo l. VIII. p. 424. seqq. At sane mirum hoc videtur! Peninsulam enim hanc centum annis ante bellum Troianum a Pelope Peloponnesum vocatam esse constat. Herod. l. VII. c. 11. Strabo lib. VII. p. 372. Homerum itaque, qui tertio seculo post Troiae excidium vixisse fertur, nomen hocce latere vix potuit.

c) Inter recentiores v. c. Vossius, V. Cl. ad Od. η. 25. vers. germanicae Apiam Peloponnesi nomen esse, Homero memoratum, contendit.

d) Ita habent Eustathii verba p. 202. Polit: ὅτι 'Απιαν γην ἐνταυθα νοητεον, ἡ την ἀλλοδαπην, και μακραν, ἐκ του ἀπο, ἡ, ὡς και Σοφοκλης λεγει την πελοποννησιαν ἀπο 'Απιδος, — ὅπου 'Απιδανεις ἐκεινος τους 'Αρκαδας καλει. Δηλον δε, ὅτι Πελοποννησιος ὁ Νεστωρ, ὡς Πυλιος. ἐντος γαρ Πελοποννησου ἡ Πυλος. 'Ευρεθησεται δε που παρ' 'Ομηρου ἀπια γη (Vide Od. η. 25. et π. 18.) μη δυναμενη εἰς Πελοποννησιαν λαμβανεσθαι h. e. *Apia regio intelligenda hic est, vel extranea*

Didymo ad Il. α. 270. aliisque e) obferuatum eſt. Negari tamen nequit, Peloponneſum poſt Homeri tempora aliquamdiu *Apiam* fuiſſe appellatam, id teſtantibus Apollodoro l. II. c. 1. § 1. Strabone lib. VIII. p. 426. et Pauſania lib. II. p. 49. Quod reliquum eſt, Peloponneſum belli troiani tempeſtate re pecuaria et agrorum cultura floruiſſe ex Il. ι. 154. ο. 372. aliisque locis conſtat.

§. XVIII.

PELOPONNESI DIVISIO.

Peloponneſi diuiſio, qualem nobis exhibet Homerus, longe recedit ab ea, quam ſcriptores, Homero iuniores, exhibent, qui tamen et ipſi inter ſe diſcrepant. Vid. Thucydid. l. I. c. 10. ibique Schol Pauſan. l. V. princip. p. 147. Pompon. Mela l. II. c 3. Plin. h. n. l. IV. c. 4. Peloponneſus autem, qualis depingitur ab Homero, diuiſa erat in ſex ditiones, quas ſingulas recenſebimus, ratione vulgaris in totidem partes diuiſionis habita.

1. *Prima* Peloponneſi *ditio*, quam in recenſione copiarum memorat Homerus, ea eſt, cui imperabat Diomedes. Complectebatur omnem peninſulam Argolicam, h. e. maximam Argolidis, poſtmodum ſic dictae, partem vsque ad Mycenas vrbem. *Argi* et *Mycenae* Argolidis vrbes ſunt, in confinio ſitae, quarum illa ad ditionem Diomedeam, haec vero ad regnum Mycenarum pertinebat. Il. β. 559 - 568. coll. 569.

2)

tranea et longinqua, ex ἄπο, longe, procul, *vel, vt vult etiam Sophocles Peloponneſia, ab Apide — eo loco, quo ille Arcades vocat Apidanenſes. Atqui de Neſtore conſtat fuiſſe eum Peloponneſium vtpote Pylium. Pylus enim ſita eſt in Peloponneſo. Quamquam innuitur alicubi apud Homerum* ἀπία γῆ, *apia regio, quae accipi non poſſit pro Peloponneſia.*

e) Vid. Heſychius et Suidas voce Ἀπία.

2. Maxima tempore belli troiani Peloponnefi *ditio regnum* erat *Mycenarum*, quod *altero loco* commemorat Vates, quippe quod praeter eam Argolidis partem, quae tum temporis Diomedis imperio fubiecta non erat, Corinthiacam regionem, Sicyoniam et omnem Aegialum, (Achaiam) nec non litoris Mefleniaci partem exiguam, Laconicae propiorem, complectebatur. Imperabat autem huic Peloponnefi parti Agamemnon Atrides. Il. β. 569 - 580. ι. 150 - 153. 292 - 295.

3. Sequitur in Homero Menelai *ditio*, ad quam Lacedaemon, Λακεδαιμων, (Laconica) et pars Mefleniae dimidia pertinebat. Eam *Lacedaemonem* fuiffe dictam, non eft, quod vlli dubitemus. Il. β. 581 - 590.

4. Excipit Menelai ditionem *quarta*, *Pylus*, Πυλος, quae fubefat Neftori Complectebatur ea alteram Mefleniae et eam Elidis partem, quae Triphylia poftmodo appellari coepit Il. β. 591 - 602.

5. *Quinta* Peloponnefi *ditio* eft Arcadia, Ἀρκαδιη, fub imperio Agapenoris, cuius fines tempore belli troiani iidem fuiffe videntur, ac infequuta aetate. Il. β. 603 - 614.

6. *Sexta* eaque vltima Peloponnefi *ditio* reliquam fere Elidis partem complectebatur. Imperabat ei Diores. Il. β. 615 - 624.

§. XIX.

A. ARGOS a).

Il. β. 559 - 568. Strabo lib. VIII. p. 424 - 432. Euftath. p. 568 - 607.

NOMEN; FINES; VRBES; OPPIDA.

Nomen. Vid. §. XV.

Fines

a) Strabo l. VIII. p. 391. de Elide vrbe, ex pluribus pagis demum condita, loquutus, haec addit, quae in ipfa Peloponnefi defcriptionis fronte

Fines. Vid. §. XVIII.

Vrbes et Oppida. Argi, Ἀργος, vrbs ditionis Diomedeae primaria et ipſius Diomedis ſedes tempore belli troiani. Il. β. 559. 563. Argus, Phoronei ex filia nepos, vt Argolidi, totique adeo Peloponneſo, ſic huic etiam vrbi nomen impoſuit, quo ipſe vocabatur. Vid. Pauſan. l. II. p. 58. In vrbium Iunoni gratiſſimarum numero hanc quoque ponit Homerus Il. δ. 52. Celebratur Heraeum ſeu templum Iunoni ſacratum, Argos inter et Mycenas, religioſiſſime cultum, de quo copioſe egit Pauſ. l. II. p. 59. Ante vrbem Lerna palus eſt, ob hydram Lernaeam, quam ab Hercule occiſam eſſe memorant, notiſſima. Argos in hunc diem vrbs eſt haud exigua, et antiquum adeo nomen retinuit *b*).

Tiryns, Τιρυνς, dicta a Tiryntha, Argi filio. Hanc Homerus appellat τειχιοεσσαν *c*) *bene munitam*, quo epitheto ingentis operis muros reſpicit, qui tanti fuerunt, vt Cyclopes *d*) eos exſtruxiſſe fama fulgauerit. Apollod. l. II. cap. 2. §. 1. Pauſan. lib.

fronte ponere non a conſilio alienum mihi videtur. Σχεδον δε και τους ἀλλους τοπους, inquit ille, τους κατα Πελοποννησον, πλην ὀλιγων, οὓς κατελεξεν ὁ ποιητης, (Homerus) οὐ πολεις, ἀλλα χωρας ὀνομαζει, συστηματα δημων ἐχουσαν ἑκαστην πλειω, ἐξ ὧν ὑστερον αἱ γνωριζομεναι πολεις συνῳκισθησαν h. e. *paucis exceptis omnia fere loca, quae recenſet poeta in Peloponneſo ſita, non vrbes nominat, ſed regiones, quod quaevis plurium pagorum conuentu conſtaret, e quibus poſtea temporis nobiles vrbes fuerunt conditae atque frequentatae.* Exempla a Strabone in medium prolata taceo.

b) Vid. Chandler Reiſen nach Griechenland cap. 54.

c) Xylandri latina Strabonis verſione, Τιρυνθα τε τειχιοεσσαν metri cauſſa vertentis: *Tirynthia clauſtra*, inductus D'Anvillius in mappa Graeciae, praeter ipſam Tiryntha, poſuit Clauſtra Tirynthis. Quem errorem notare ſaltem volebam.

d) Caue hos Cyclopes cum aliis Cyclopibus confundas. Conf. §. X.

lib. II. p. 68. Poſterioris ſcriptoris verba, quae huc pertinent, ita habent: *το δη τειχος*, inquit, *ὁ δη μονον των ἐρειπιων λειπεται, Κυκλωπων μεν ἐςιν ἐργος. πεποιηται δε ἀργων λιθων, μεγεθος ἐχων ἑκαςος λιθος, ὡς ἀπ' αὐτων μηδ' ἀν ἀρχην κινηθηναι τον μικροτατον ὑπο ζευγους ἡμιονων*, h. e. *muri, qui e ruderibus ſuperſunt, Cyclopum eſt opus. Exſtructi ſunt e rudibus lapidibus tantae molis et magnitudinis, vt iumentorum bigis eorum ne minimus quidem loco mouri potuerit.* Quin adhuc ſupereſſe horum ſaxorum nonnulla, docet nos Chandlerus itenerarii cap. 54. Tiryntha poſtea Proetus ſedem regiae habuit, ſicuti Acriſius, eius frater, Argos, ex quo, pace facta, vterque Argiuorum reipublicae parti imperabat. Vid. Apollod. l. c. Deleta demum eſt ab Argiuis Tiryns. Pauſan. l. II. p. 59. lib. V. p. 172.

Epidaurus, Ἐπιδαυρος, dicta ab Epidauro, Argi filio. Apollod. l. II. c. 1. §. 2. Pauſ. l. II. p. 68. Homero dicitur *ἀμπελοεσσα*, quo epitheto ab Epidauro, cognomine Limara, quae eſt Laconica vrbs et ab Epidauri noſtrae ciuibus condita, facillime diſtinguitur. Pauſan. l. III. p. 104. 106. Nihilo tamen ſecius iam ab antiquis, v. c. Byzantino illo Stephano, facta eſt horum locorum confuſio. Celebratur inprimis ob Aeſculapii cultum, cuius fanum refertum perhibetur remediis omnis generis morbos leuantibus. Pauſan. l. II. p. 68. 69. l. VIII. p. 236. Hinc explicari poterunt Statii Syluar. I. 3, 100. *medicis felix Epidaurus* et Ouidii *Medica Epidaurus*, cuius mentio in eius Faſtis. Aeſculapium ab antiquiſſimis inde temporibus Deum creditum Pauſanias l. II. p. 69. probare tentat ex Il. δ. 193. 194. At verba *ἀμυμονος ἰητηρος*, quae ibi leguntur, neutiquam probare, eum Homero audire Deum, quis eſt, qui non videat? De ſitu vrbis vid. Chandlerus l. c. cap. 52.

Troezen, Τροιζην, cuius adhuc rudera exſtant, teſte Chandlero cap. 50, vrbs quondam celeberrima, XV. ſtadiis a mari diſſita. Nomen ei impoſuiſſe Troezenem, Pelopis filium, praeter Strabonem et Schol. tradit et Pauſanias, qui Theſeum quoque natum

natum hic educatumque memorat. Paufan. lib. II. p. 73. Vrbs haecce in tutela erat Neptuni, qui fumma ibi religione colebatur. Templum ipfi facrum extra vrbis muros exftructum fuiffe, difcimus e Paufania l. c. p. 75.

Hermione, Ἑρμιονη, vrbs olim haud obfcura, quam Cares tenuiffe quondam Strabo auctor eft; poftea vero Dryopes eo fefe contulerunt. Herod. lib. VIII. cap. 73. Ea a conditore Hermione, Europae filio, nomen accepiffe creditur. Prope Hermionen defcenfum ad inferos tradidiffe quosdam, relatum legimus apud Strabonem lib. VIII.

Afine, Ἀσινη, ad finum fita, vt refert ipfe Homerus. Dryopes olim hanc vrbem tenuiffe memorant Herod. l. c. et Paufan. l. IV. p. 145. Deleta demum eft ab Argiuis et folo aequata. Paufan. lib. II. p. 79. l. III. p. 87.

Eiones, Ἠιονες, oppidulum, de cuius fitu nihil prorfus conftat, nifi quod maritimum locum fuiffe, ipfum nomen arguat. Quin ne ex ordine quidem in recenfione locorum regni Diomedei, ab Homero obferuato, fitum huius loci coniectare licet. Poetam enim maxime nunc quidem perturbaffe eum deprehendimus, etfi Strabo, nefcio, quibus cauffis inductus, contrarium tradat l. VIII. p. 431. Si vero iuftum ordinem feruauerit Homerus Il. β. 561. fieri non poteft, quin fita fuerit inter Troezena et Epidaurum. Paufanias huius loci nullam fecit mentionem; quin et D'Anvillius in mappa geogr. eum omittere confultius iudicauit. Ceterum locum huncce, incolis viduatum, Mycenaei nauale fibi fecerunt.

Mafes, Μασης, ad finum haud longe ab Hermiona fita, oppidum olim, poftea vero Hermionenfium portus.

§. XX.

INSVLA: AEGINA (HOD. ENGINA) IL. β. 562 *a*)

Praeter Aeginam, Αἴγιναν, nulla alia insularum, Argolidi finitimarum, ab Homero commemorata est. Insulam vero hancce, quae, cum inculta adhuc esset, *Oenone* vocabatur, ab Aegina, Asopi filia, quae ibi peperit Aeacum, denominatam esse memorant haud pauci scriptores *b*). Myrmidonum patria ea traditur, quos, Aeaco precante, e formicis a Ioue creatos fama vulgauit. Rectius ea se habent, quae de huius nominis origine tradit Strabo, infra commemoranda. Aeginetae, Αἰγινῆται, per haud exiguum tempus in libertate erant, et non mercatura solum maritima insequuto aeuo maxime florebant, sed et classe sic valebant, vt nauali praelio, ad Salaminem commisso, ceteros omnes adeoque Athenienses ipsos antecellerent. Postea vero ab Atheniensibus sedibus eiecti suis, Laconicam petierunt; Pausan. lib. II. p. 71, et, licet finito bello Peloponnesiaco insulam Aeginetis reddiderint Athenienses, illi tamen ad pristinum splendorem emergere nunquam valuerunt.

Qui Scholiastae ad Pind. Nem. III. 6. memoratur *Asopus* Aeginae fluuius, Homero quoque innotuit. Od. λ. 259.

a) Vulgaris lectionis: οἵ τ' ἔχον Αἴγιναν loco, quidam Codd. habent: Νῆσόν τ' Αἴγιναν, vt doceant, totius insulae ciues intelligendos esse, non solius primariae insulae vrbis.

b) Herod. l. VIII. c. 46. Apollod. l. I. c. 9. §. 3. l. III. c. 12. §. 6. p. 252. Strabo et Eustath. ll. cc. Pausan. lib. II. p. 48. 71.

§. XXI.

§. XXI.

B. MYCENAE.

Il. β. 569-580. Strabo lib. VIII. p. 432-442. Eustath. p. 607-618.

NOMEN; FINES.

Nomen totius regionis ab Homero nusquam commemoratur; eam tamen appellatam fuisse Mycenas, non est, quod vlli dubitemus.

Fines: Vid. §. XVIII.

§. XXII.

VRBES, ET QVIDEM I. IN ARGOLIDE.

Mycenae, Μυκηναι, et *Mycena*, Μυκηνη. Vtroque numero vrbis huiusce nomen reperitur in Homero, cui ea εὐκτιμένον πτολιεθρον, *bene aedificata vrbs*, Il. β 569. et εὐρυαγυια, *latas vias habens*, h e. magna, Il. δ. 52. dicitur. Posteriori loco eam quoque earum vrbium vnam tradit quae Iunoni dilectissimae esse putabantur. Distat ab Argis LX fere stadiis et a Perseo condita est. Pausan. l. II. p. 58. Denominatam eam esse alii quidem tradunt a Mycenaeo, Spartonis filio, alii vero a Mycena, quae nympha Laconica fuisse perhibetur. Tertiam Mycenes nominis originem habes apud Pausan. l. c. Mycenae belli troiani tempestate, qua eas regiae sedem habuit Agamemnon, quam maxime floruerunt atque eminuerunt. Quod vel ex iis ipsius Homeri locis docere me posse confido, in quibus Agamemnonem poeta appellat βασιληα πολυχρυσοιο Μυκηνης, *regem diuitis Mycenes.* Il. η. 180 λ 46. Hoc enim epitheton ad Mycenaeorum diuitias, mercatura comparatas, qua vrbes et regna maxime florescunt, manifesto referendum est. Deleta est demum haec vrbs ab Argivis, cuius excidii caussam aperit Pausanias l c. Argos et Mycenas vrbes promiscue a poetis Tragicis veluti vnam appellari, obseruat Strabo.

Cleonae

Cleonae, Κλεωναι, Plinio H. N. l. IV. cap. 5. Cleone dictae singulari numero, oppidum fuit inter Corinthum et Argos, ita, vt ab Argis CXX. a Corintho non nisi LXXX stadiis distaret. Dubium non est, quin a Cleone nomen acceperit oppidum nostrum, siue Cleone nomen sit Pelopis filii, siue vnius e filibus Asopi. Vid. Pausan. lib. II. p. 57. De oppido ipso haec habet Strabo: Κλεωναι δ' εισι πολισμα — επι λοφου περιοικουμενου πανταχοθεν, και τε τειχισμενου καλως, ως' οικειως ειρησθαι μοι δοκει (scil. Homerus) ἐϋκτιμενας Κλεωνας, h. e. *Cleonae vrbs est sita — in tumulo domiciliis vndiquaque cincto et pulchre muris ornato, vt videatur Homerus apposite eas bene conditas appellasse.* Cleonarum adhucdum superesse quaedam rudera, docet nos Chandlerus cap. 57. itinerarii. Prope eas Nemaea sylua erat, vbi Pausaniae adhuc aetate ostendebatur spelunca leonis Nemaei siue Cleonaei, ab Hercule occisi. Ibi Nemea quoque certamina in honorem Herculis agebantur.

§. XXIII.

2. AEGIALVS. *a*)

Quae de Aegiali nomine §. XVII. exposui, iis addere mihi liceat, quod Homerus in recensione vrbium et oppidorum ad Agamemnonis imperium pertinentium, solenne suum seruauit. Saepissime enim, totam quandam regionem nominans, vnum aut plura loca simul commemorat, quae in hac ipsa regione sita sunt *b*). Sic et mediae Aegiali (Achaiae) locorum recensioni totius regionis nomen inseruit.

§. XXIV.

a) Ante Heraclidarum in Peloponnesum reditum Aegialum totam tenebant Iones, ab Ione, Xuthi filio et Achaei fratre oriundi. Ab his *Ionia* dicta est, quae antiquo nomine *Aegialus* vocabatur, regio. Ab Achaeo dicuntur *Achaei*, qui eodem tempore alias Peloponnesi regiones tenebant. His vero sedibus suis pulsis ab Heraclidis, ipsi rursus Iones sedibus suis expulerunt. Hinc factum est, vt ab hoc inde tempore regio, cui olim nomina Aegialus et Ionia fuerant, *Achaia* vocabatur, quod nomen diu obtinuit. Vid. Pausan. l. V. p. 147. l. VII. p. 205. 206.

b) Testimonia ex Homeri carminibus collegit Strabo l. X. p. 517.

§. XXIV.

FLVVIVS ET MONS AEGIALI.

Acheloius, Ἀχελωϊος. Il. ω. 616. Eundem Achaiae fluuium intelligendum esse, qui alias *Peirus* et *Pierus* appellatur (Strabo l. VIII. p. 397.), ex orationis serie apparet. De Acheloio Achaiae recte etiam Pausanias lib. VIII. p. 269. locum illum accepit. Fluuium hunc e Sipylo monte oriri affirmat idem l. c. Forte ex Il. ω. 614-616. probari hoc posse putabat. Strabo tamen eum Dymam praeterfluere dicit, quae est in occidentali Achaiae parte; Sipylum vero Pausanias ipse in parte orientali ponit.

Sipylus, Σιπυλος, mons Il. ω. 615. memoratus. Confer ea, quae de Acheloio hoc ipso paragrapho dixi.

§. XXV.

AEGIALI VRBES, ET QVIDEM α) VRBES IPSIVS ACHAIAE.

Sequitur nunc, vt eas Aegiali vrbes recenseam, quarum mentionem fecit Homerus. Quarum recensioni quae de Sicyoniae et Corinthiae regionum vrbibus dicenda sunt, subiungam; vtramque enim regionem vulgo ad Achaiam referunt. Ipsius Achaiae vrbes in Catalogo memoratae, hae sunt:

Helice, Ἑλικη. Dicta est ab Helice, Ionis conditoris vxore, memorata etiam Pausaniae l. VII. p. 205. Alii tamen nominis originem deducunt ab Helica, Lycaonis filio. Homerus eam, primariam olim huiusce regionis vrbem εὐρειαν, *spatiosam*, dicit, quo quidem epitheto domicilia, quae communi Helices nomine comprehendebantur, sparsa fuisse et disiecta declarat. Neptuni templum, (idque celeberrimum religiosissimeque cultum) ibi fuisse tradit poeta Il. ϑ. 201 - 204. (Vid. et Pausan. l. VII. p. 231.) Ab hac vrbe interpretes Homeri, quotquot euolui, Neptunum *Heliconium* appellatum putant, quod nomen Il. υ. 404. occurrit. Prope hoc templum *Panionia*, Πανιωνια, sacrificabant Iones, cuius sacrificii mentionem ipsum Homerum Il. υ. 403. seqq. iniecisse, nonnulli suspicantur. Biennio ante Leuctricam

pugnam

pugnam mare, terrae motu turbatum, adeoque vltra ripas effusum, praeter alias Achaiae vrbes, Helicen quoque ipsumque Neptuni Heliconii templum obruit, penitusque fere deleuit. Ruinas tamen quasdam Pausaniae adhuc aeuo superfuisse, constat ex huius scriptoris lib. VII. p. 232.

Aegium, Αἴγιον, Helice deleta, celeberrima erat Aegiali vrbs. Ibi postea Achaica comitia agebantur. Pausan. l. VII. p. 212. 231.

Hyperesia, Ὑπερησία, eadem vrbs est, quae postea Aegira appellari coepit. Hanc sedem rebus suis delegerant Aegarum incolae, patriam vrbem relinquentes. Pausan. lib. VII. p. 233. Huius vrbis et Od. ο. 254. mentio fit.

Pellena, Πελλήνη, vltima Achaiae versus orientem vrbs, Sicyoniae finitima.

Quatuor hae vrbes, Helice, Aegium, Hyperesia et Pellena, in duodecim illarum numero, quas Iones condiderant, vno ore ponuntur ab antiquissimis scriptoribus, Herodoto, Polybio, Strabone et Pausania. Harum vrbium alia erat

Aegae, Αἰγαί, Homero quidem, at non in Catalogo Nauium memoratae. Hic celeberrimum erat templum, Neptuno sacrum. Il. ϑ. 201-204. Od ε. 381. Male Didymus posteriore loco insulam ante Euboeam intelligit. In animo sane habuit Aegas, ipsius Euboeae vrbem, Neptuni fano claram. Rectius Strabo aliique laudata Homeri loca de Aegis Achaicis accipiunt. In ipsa copiarum recensione occurrit adhuc

Gonoessa, Γονόεσσα, quam haud temere αἰπεινήν, *excelsam*, Vates appellat; erat enim castellum Pellenes, hanc vrbem inter et Aegiram *a*).

β.

a) Pausanias lib. II. p. 48. lib V. p. 166. (qui locus mutilus videtur, et ab aliis iam emendatus est) l VII p. 234. Hoc loco sane legendum Γονοῦσα et Γονόεσσαν. Scriptum reperitur Δονοῦσα et Δονόεσσαν.

§. XXVI.

β. VRBES SICYONIAE.

Sicyon, Σικυων, eaque εὐρυχορος, *fpatiofa.* Il. ψ. 299. Antiquitus vocabatur *Aegiale*; Sicyon vero Marathonis filius, Aegialen a fe Sicyonem appellauit. Paufan. l. II. p. 49. Reipublicae Sicyoniae olim reges imperaffe, difcimus ex Homero. Ille enim Il. β. 572. Adraftum Sicyoniae regem dicit. Cum vero in Catalogo Nauium Homerus commemorat vrbem Sicyonem, ὅθ' ἄρ' Ἀδρηστος ΠΡΩΤ' ἐμβασιλευεν, *vbi Adraftus primum regnauit,* hoc ipfo additamento innuit, Adraftum infequuta aetate Argis imperaffe. Senfus enim loci Homerici, ex Il. β. laudati, hic fere eft: *tenentes Sicyonem, cui imperabat Adraftus, antequam Argorum regnum adipifceretur.* Teftatur hoc Paufaniae locus lib. II. p. 50. και ὅτε, inquit, Ἀδραστος ἐφυγεν ἐξ Ἀργους παρα Πολυβον (Sicyoniae regem) ἠλθε ἐς Σικυωνα. και ὑστερον, ἀποθανοντος Πολυβου, την ἐν Σικυωνι ἀρχην ἐσχεν. Ἀδραστου δε ἐς Ἀργος κατελθοντος κ. τ. λ. Sicyon eo etiam quam maxime memoranda, quod ibi primum in formam reipublicae coaluit Graecorum populus, et Sicyonium regnum omnium regnorum in Graecia fuit antiquiffimum, fi habenda eft fides Paufaniae lib. II. cap. 5.

Araethyrea, Ἀραιθυρεα, oppidum, cui Araethyrea, Arantis filia, nomen impofuit. Paufan. lib. II. p. 55. Appellatur ἐρατεινη ab Homero, quod epitheton fatis declarat, oppidum hocce in amoena regione fuiffe fitum. Poftea Phlius appellari coepit.

§. XXVII.

γ. VRBS IN CORINTHIACA REGIONE: CORINTHVS.

Corinthus: Κορινθος. Vrbem hancce (quae μυχῳ Ἀργεος, *in receffu Peloponnefi* fita erat Il. ζ. 152.) non temere ἀφνειον, *opulentam*, Vates appellauit. Erat enim prima Peloponnefi et totius

tius Graeciae antiquae vrbs, mercatura celebris. Antiquum Corinthi nomen fuit Ephyra, Ἐφυρη a) quo nomine Homerus eam haud dubie Od. α. 259. β. 328. 329. appellat; quorum locorum posteriori venena quoque mortifera prope eam gigni affirmat. Minus recte Strabo vtroque loco Ephyram Eliacam intelligere mihi videtur lib. VIII. p. 393. Corinthum et Il. ζ. 152. (Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 142. 143.) Ephyrae nomine exprimi, dubium fane non est. Etenim hanc ipsam vrbem Sisyphus, Aeoli filius, qui Homero teste ibi habitabat, Il. ζ. 152-154. condidit; conditam vero a Sisypho vrbem Corinthum fuisse, constat ex Apollod. lib. I. cap. 9. §. 3. Ante troiani belli tempestatem in libertate erat Corinthus; orto autem illo bello Agamemnoni parebat. Memorabilium, quae hac de vrbe commemorare possem, cum tanta sit copia, vt eorum delectum facere difficile negotium sit, nihil hactenus dictis subiungere, consultius iudico.

§. XXVIII.

Hactenus de vrbibus, Agamemnoni subiectis, quarum meminit poeta in recensione copiarum. Restat vt de septem illis vrbibus, *in litore Messeniaco* sitis, quibus idem imperabat, et quas Achilli se daturum dotis loco promittit, breuibus exponam. Has omnes maritimas, easque vltimas Pylum versus tradit ipse Homerus Il. ι. 153. Ipsarum vero vrbium nomina Il. ι. 150-152. et 292-294 leguntur. Compara Strabonem lib. VIII. p. 414. seqq. et Eustathium ad loca laudata. Quod autem omnes illas vrbes maritimas dicit Homerus, id non sensu strictissimo accipi debet. Compertum enim habemus ex Strabone l. c., non nisi Cardamylen mari imminere, reliquas vero omnes magis minusue a mari esse remotas.

Car-

a) Plin. H. N. l. IV. cap. 4 Apollod. lib. I. cap. 9. §. 3. Apollodori verba, quae huc pertinent, haec sunt: *Σισυφος Αἰολου κτισας Ἐφυραν, την νυν λεγομενην Κορινθον*, *Sisyphus, Aeoli filius, condidit Ephyram, cui nunc Corintho nomen est.*

Cardamyle, Καρδαμύλη, in ſaxo natura munito ſita, teſte Strabone. Diſſita erat a mari VIII. fere ſtadiis. Pauſan. l. III. p. 110.

Enope, Ἐνόπη, poſtea Gerenia appellata, teſte Pauſania l. c. Non defuerunt tamen alii, qui Enopen eſſe Pelana contenderent, alii, qui eam ſimpliciter locum eſſe dicerent, haud longe a Cardamyle diſtantem. Gereniae nomen iam Homeri aetate in vſu fuiſſe inde efficitur, quoniam Neſtorem Gerenium appellat. Senem vero hunc ita cognominatum fuiſſe alii dicunt, quoniam ibi educatus erat, alii, quoniam eo confugerat, Pylo ab Hercule capta. Apollod. lib. I. cap. 9. §. 9. lib. II. cap. 7. §. 3. Pauſan. l. c. Quod ſupereſt Cardamylen et Enopen poſtea ad Laconicam pertinere, earumque ciues liberos eſſe Auguſtus voluit. Vid. et Pauſan. l. c.

Hira; Ἱρή, eaque ποιήεσσα, *herboſa*. Sunt, qui ſtatuant, Hiram non diuerſam eſſe a Meſola; Pauſanias autem Hiram poſtmodum Abiam appellatam memorat lib. IV. p. 140. Strabonis aeuo oſtendebatur vrbs Hira ad montem inter Megalopolin, Arcadiae vrbem, et Oechaliam. Ibi tamen Hiram Homericam ſitam fuiſſe diffiteor, quippe qui locus nullo modo maritimus dici meretur.

Pherae, Φηραί, ſingulari quoque numero Φηρή eaque ἐϋκτιμένη, *bene aedificata*, Homero dictae. Il. ε. 543. Vid. et Od. ο. 186 Finitima perhibetur Pherae vrbs Cardamylae, Enopae et Aepeae.

Anthea, Ἄνθεια, βαθύλειμος, *profunda prata habens*, h. e. herboſa, Homero audit. Quod epitheton ad laeta agri paſcua circa hanc vrbem reuocandum videtur. Pauſanias lib. IV. p. 141. iis adſentiri videtur, qui Antheam inſequuta aetate Thuriam appellatam exiſtimabant.

Aepea, Αἴπεια. Sita erat in loco ſublimiori, id arguente ipſo nomine. Qua de cauſa Vates eam fortaſſis καλήν, *pulchram* appellat.

appellat. In posterum Thuria dicta est, teste Strabone; alii tamen Aepeam non diuersam esse iudicauerunt a Methone; alii idem de Aepea et Corone affirmarunt. Pausan. l. IV. p. 144.

Pedasus, Πήδασος. Appellatur a poeta ἀμπελόεσσα, *vitifera.* Hanc Pausanias l. IV. p. 145. eandem esse censet cum Methone. Secundum alios Pedasus postea Corone dici coepit.

§. XXIX.

C. LACEDAEMON.

Il. β. 581-590. Strabo lib. VIII. p. 418-423. Eustath. p. 618-626.

NOMINA; FINES; PROMONTORIVM; MONS.

Ad *Lacedaemonem* pertinebat tempore belli troiani Messeniae pars fere dimidia, eaque orientalis, (§. XVIII.) quam Homerus Od. φ. 15. commemorat. Omnem enim Messeniam intelligere orationis series vetat. Nec de vrbe Messena accipi potest ille locus; Messene enim Homeri aetate, et ante eam, Peloponnesiacae cuiusdam regionis, non vrbis nomen fuit. Quam quidem sententiam variis argumentis ex ipsius Homeri scriptis petitis confirmare possum atque communire. Ad quod perficiendum prouoco non tam ad Od. φ. 18, quo in loco Messeniorum meminit Vates, populi certe, non vnius tantum vrbis ciuium, quam potius ad ipsum locum ex Od. φ. 15. 16. laudatum, in quo poeta Messenam domum Orsilochi appellat. At vero Orsilochi domum non vrbem Messenem fuisse, sed Pheras, Messeniae oppidum, ipse testatur Vates noster Od. γ. 488. 489. ο. 186. Conf. Strabo lib. VIII. p. 414. 422. 423. Pausan. lib. IV. princ. p. 111. Iam cum Lacedaemonem stricte sic dictam Od. φ. 13. exprimat Homerus, dubium non est, quin duobus illis locis Od. φ. 13. et 15. simul sumtis, omnem denotet, cui imperauit Menelaus, regionem. Nec adeo quidquam impedit, quo minus Stra-

Strabonis ſententiam ſequamur, qui ſolo Lacedaemonis nomine Od. φ. 13. Menelai imperium omne ſignificari contendit. Vid. Strab l. VIII. p. 422. Ceterum *Lacedaemon* denominata eſt a Lacedaemone, Laconices rege, Apollod. l. III. cap. 10. §. 3. Pauſan. lib. III. p. 81. *Meſſenia* autem a Meſſene, Polycaonis vxore, qui Polycaon quondam Meſſeniae rex fuit, nomen accepit. Pauſan. lib. IV. init p. 111. Reliqua Laconicae nomina, quae apud Homerum leguntur, vt cum illam appellat *Argos Achaicum* cet. iam ſupra §. XV. commemorata ſunt.

Fines: Vid. §. XVIII.

Promontorium: Malea, Μαλεια. Appellatur *ὀρος αἰπυ*, *mons excelſus*, Od. γ. 287. δ. 514. quo epitheto *Eleſias* ſatis innuit poeta. Ipſe et Od. δ. 517. promontorium hocce in vltima Laconicae ora ponit. Vlyſſis ad Maleam fata narrantur Od. ι. 79-84.

Mons: *Taygetus*, Ταΰγετος. Ab Homero ob altitudinem laudatur Od. ζ. 103. Feris eum abundaſſe ex citato Homeri loco facile colligitur. Conf. §. XXXVIII.

§. XXX.

VRBES ET OPPIDA.

Venio ad Laconicae vrbium recenſionem. De quibus in vniverſum, diſputatione de Meſſa, quam nonnulli Laconices vrbem iudicarunt, ad finem perducta, ita loquitur Strabo lib. VIII. p. 419.: *των δ' ἀλλων, των ὑπο του ποιητου κατωνομασμενων τα μεν ἀνῃρηται, των δ' ἰχνη λειπεται, τα δε μετωνομασται*, *reliquarum vrbium, quas poeta nominauit, quaedam exſtinctae ſunt, aliarum veſtigia ſuperſunt, nonnullarum nomina ſunt mutata.*

Lacedaemon, Λακεδαιμων, Sparta, Σπαρτη a). Promiſcue poetam nomina haecce adhibere de primaria Laconicae vrbe, ex Od.

a) Σπαρτη. Il. δ. 52. Od. α. 93. 285. β. 214 327. 359. λ 459. ν. 412. cet. Λακεδαιμων. Il. γ. 239. 244. cet. Od. γ. 326. δ. 1. ο. 1.

Od. α. 285. coll. γ. 326. liquido apparet. Illo enim loco Spartam, hoc Lacedaemonem commemorat, vtramque vero Menelai ſedem appellat. Laconicae rex Lacedaemon a Sparta, coniuge ſua, Spartam, a ſe vero totam regionem appellauit. Apollod. lib. III. cap. 10. §. 3. Pauſan. lib. III. p. 81. Vulgo putant, Lacedaemonis nomine Il. β. 581. totam denotari regionem, ad cuius clauum belli troiani tempeſtate ſeſſitauit Menelaus. Ad hanc ſententiam vel maxime probandam qui ſic ſtatuerunt aut nunc ita ſtatuunt, haud dubie adduci ſe paſſi ſunt Spartae nomine, quod Lacedaemoni ſtatim ſubiungit Homerus Il. β. 581. 582. Quam tamen explicationem nec epitheta admittunt, Lacedaemoni Il. β. 581. addita, quippe quae, vti mox apparebit, in ipſam vrbem Laconicae primariam cadunt, nec locus ille, qui Od. δ. 1. exſtat. Hoc enim loco, in quo eadem verba leguntur, quibus vſus eſt poeta Il. β. 581, Spartam vrbem intelligamus neceſſe eſt; Spartae enim habitabat Menelaus. Od α. 285. γ. 326. Soluitur nodus annotatiuncula Euſtathii ad Il. β. 581, quippe qui fuiſſe tradit, qui alteram vrbis partem Spartam, alteram Lacedaemonem vocatam contenderent *b*). Spartam quoque in earum vrbium catalogo ponit Homerus Il. δ. 52. quae Iunoni gratiſſimae erant. Notiſſimum eſt, adeo pueris ex Nepote Cornelio Ageſil. cap. 6. Spartam olim ſine muro fuiſſe; poſtea tamen Caſſandri nimirum aetate, muro vrbem cinxerunt Spartani. Iuſtin. lib. XIV. cap. 5. Liv. lib. XXXIV. cap. 38. Putabant enim Spartani, gens fortiſſima, ſuis ſe pectoribus ingruenti cujuis periculo opponere poſſe. (hod. Miſitra.)

Epithetorum. quae vrbium nomini addidit Homerus, alia quidem prorſus nulla, alia fuſiori indigent explicatione Cum enim Spartam dicit εὐρύχορον Od. γ. 414. ο. 1. εὐρεῖαν, Od. λ. 459.

κη-

b) Corruptam eſſe lectionem loci Homerici Il β. 581. ac loco vocularum: Σπάρτην τε aliud verbum, nimirum Κυθήρειαν ſubiiciendum eſſe, haud forſan immerito aliquis coniiceret ex huius verſus Homerici interpretatione apud Statium Theb. IV. 226. vbi Sparta non occurrit. Ita enim Statius: *Quos Pharis, volucrumque parens Cythereia Meſſe.*

καλλιγυναικα, Od. ν. 412. quid ſibi velint haec epitheta facile quisque intelligit. Praeterea vero vrbem hancce appellat κοιλην et κητωεσσαν, Il. β. 581. Od. δ. 1. de quibus epithetis accuratius paullo mihi erit exponendum. Κοιλη Λακεδαιμων vertendum eſt: *vallofa Lacedaemon.* Explicari enim debet epitheton κοιλη ex ſitu vrbis in valle ad Eurotam fluuium, Taygetum inter et Parthenium montes. Cum vero Spartam κητωεσσαν appellat, eorum ſententia maxime mihi arridet, qui, vocabulum hocce a κητος deriuantes, non niſi vrbis magnitudinem eo adiectiuo denotari iudicant. Accedit, quod ſimilia adiectiua compoſita ſaepius apud veteres ſcriptores, poetas maxime, occurrunt, quae non niſi rei, de qua quaeritur, magnitudinem exprimunt; vt cum Iunonem ipſe Vates noſter βοωπιδα Il. ξ, 159. cet. nominat *c*).

§. XXXI.

CONTINVATIO.

Amyclae a), Ἀμυκλαι, a Sparta XX ſtadiis verſus auſtrum diſſitae; ob templum Apollinis celebratae. Inde explicari poſſunt Statii

c) Quae cum ita ſint, non eſt, quod vulgarem lectionem mutes, licet iam antiquiſſimi Homeri interpretes καιετάεσσαν legerint, quam vocem idem valere, ac καλαμινθώδη contendunt; καιετη enim et καλαμινθα ſignificant *ſiſymbrium hortenſe*, *calaminthum*, qua regio circa Spartam abundaſſe perhibetur. Minus docte alii hanc vocem deducunt a καιετοι, quod vocabulum *fiſſuras ex terrae motibus* denotat. Qui vero ita ſtatuunt, eiusmodi fiſſuras contendunt multas fuiſſe in Laconica, quam terrae motibus obnoxiam fuiſſe conſtat. Dubium ſane non eſt, quin inde profecta ſit haec lectionis varietas, quoniam ab antiquiſſimis inde temporibus vulgaris lectio Homeri interpretibus nimis obſcura et impedita videbatur; Strabo tamen vulgarem lectionem tuetur et defendit. Apollonius Lex. Homer. κυτωεσσαι legiſſe videtur, a κυτος, *cavitas*. Voce enim κοιλη illud epitheton explicauit.

a) Amyclae fuerunt, teſte Stephano, πολις Λακωνικη των ἑκατον πολεων, ἣν Ἀμυκλας, ὁ Λακεδαιμονος υἱος ἔκτισε. *vrbs Laconica ex centum vrbibus, quam Amyclas, Lacedaemonis filius, condidit*, cum quo conſentit Pauſanias lib. III. pag. 81.

Statii (Theb. 223.) *Apollineae Amyclae.* Insequuta aetate a Doriensibus deletae sunt. Pausan. lib. III. p. 102. Castorem et Pollucem Amyclis educatos esse memorant, vnde et ipsi heroes Amyclaei poetis dicti.

Pharis, Φαρις *b*) haud longe ab Amyclis, a mari stadiis fere sex, postea Pharae dicta.

Bryseae, Βρυσιαι, oppidum, austro propius, quam Pharis, ad Taygeti radices, referente Pausania lib. III. p. 102.

Quae sequuntur Laconicae loca, maritima fere oppida fuerunt, et insequuta aetate ab Augusto in libertatem vindicata.

Helos, Ἑλος, ἐφαλον πτολιεθρον, *oppidum maritimum*, ipsi Homero dictum. Hanc condidisse dicitur Helos, quem Persei filium fuisse, natu minimum, discimus e Pausaniae l. III. p. 103. Vrbe a Doriensibus capta, ciues seruitutem pati durissimam coacti sunt. De Helotibus multi scripserunt, Pausanias *c*) Strabo l. c. Liuius XXXV. 27.

Augeae, Ἀυγειαι, postea Aegae seu Aegiae dictae, ab Homero ἐρατειναι appellatae. Fieri igitur nequit, quin in regione amoena sita fuerint. Strabo l. c. Pausan. l. III. p. 104.

Las,

b) In libris typis exscriptis omnibus, quantum scio, Il. β. 582. Φαρην legitur. Scribendum esse iudico Φαριν, auctoritate Strabonis l. VIII. p. 418. et Pausaniae l. III. p. 103. l. IV. p. 127. Pausanias posteriori adeo loco disertis verbis dicit, Homerum vrbem, postea Pharas appellatam, in Catalogo Φαριν appellare. Adde quod Pausanias conditorem huius oppidi fuisse Pharin, Mercurio et Philodamea, Danai filia, oriundum, l. IV. testatum reliquit.

c) De situ oppidi, deque colonia, ab Helio, Persei filio, natu minimo, nonnulla praefatus, haec de Helotibus scribit Pausanias l. c. Δωριεις δε παρηστησαντο ὑστερον (scil. Helos vrbem) πολιορκιᾳ και πρωτοι γε ἐγενοντο οὑτοι Λακεδαιμονιων δουλοι του κοινου, και Ἑιλωτες ἐκληθησαν πρωτοι, καθαπερ γε και ἡσαν, *postea Dorienses per obsidionem* (ea vrbe) *potiti sunt, ex quo primum publici exstitere Lacedaemoniorum serui, qui sunt a loco Helotes appellati.* Deinde et alii captiui, Messeniorum maxime, his pares facti, *Helotes* appellati sunt.

Las, Λᾶς, ſupra rupem ſita inter Teuthronam et Eurotam, vnde et forte denominata eſt; λααs enim lapidem ſignificat; Pauſanias tamen l. III. p. 107. oppidi originem repetit a La quodam Helenae amaſio. Dioſcuros eam expugnaſſe, vnde Λαπερσαι dicuntur a Sophocle, memoriae proditum legimus apud Strabonem l. c. Aberat a mari X. ſtadiis, XL. a Gythio.

Meſſa, Μεσση, oppidum, quod πολυτρηρωνα, *columbis abundantem*, Homerus appellat. Veterum nonnulli, cum nihil compertum haberent de Meſſa, Laconicae vrbe oppidoue, nullam vmquam extitiſſe Meſſam praeciſe affirmare non erubuerunt. Prouocantes igitur ad decurtatorum nominum exempla, in Homero aliisque ſcriptoribus obuia, v. c. Ἀλκιμων pro Ἀλκιμεδων, Il. τ. 392. *d*), Meſſae nomine poetam ſignificare Meſſenem, Meſſeniae vrbem, contendebant. At Meſſena vrbs Homeri aetate erat nulla. (§. XXX.) Praeterea Pauſanias l. III. p. 109. diſerte mentionem facit Meſſes, vrbis Laconicae maritimae.

§. XXXII.

INSVLA: CYTHERA.

Cythera, Κυθηρα, Homero interdum memorata, v. c. Od. ι. 81. quo in loco ex orationis ſerie ſimul apparet, poetam non fugiſſe, inſulam hancce Maleae promontorio finitimam eſſe. Ab hac inſula, Veneri ſacra, dea haec et Homero Κυθερεια audit. Od. ϑ. 288. (hod. Cerico.)

Scandia, Σκανδεια, portus Cytherae inſulae, cuius meminit poeta Il. κ. 268.

d) Exempla collegit Strabo l. VIII. p. 419.

§. XXXIII.

D. PYLVS.

Il. β. 591-602, Strabo lib. VIII. p. 401-414. Eustath. p. 627-635.

Regio, Nestori subiecta, Pylus vocatur et incolae Pylii. Il. ε. 544. 545. Imperabat autem Nestor Messeniae parti, Triphyliae propiori et ipsi omni Triphyliae. Conf. §. XVIII.

§. XXXIV.

I. MESSENIAE PARS, QVAE SVBERAT NESTORI. VRBES IN EA.

Messeniae partis, Nestori subiectae, non nisi duo occurrunt loca, Homero in ipso Nauium Catalogo memorata:

Cyparisseis, Κυπαρισσῆεις, quae postmodum *Cyparissia* appellata est. Memoratur veteribus alia Cyparisseis in Triphylia, quae et Cyparissina dicitur, cuius tamen h. l. meminisse Homerum recte negant interpretes.

Dorium, Δώριον, oppidum, cuius rudera se vidisse testatur Pausanias l. IV. p. 143. Alii montem, alii campum intelligunt. Fuerunt quoque, teste Strabone, qui Dorium oppidum non diversum esse ab Olura, Messeniae loco, contenderent. Ibi Musae excaecasse perhibentur Thamyrin Thracium, eas se superaturum canendo gloriantem, et fecisse, vt carmina obliuisceretur Thamyris. Il. β. 594. seqq. Haec est summa fabulae, cuius explicationem dedit ingeniosam Pausanias lib. IV. p. 144.

§. XXXV.

2. TRIPHYLIA. FLVVII.

Chalcis, Χαλκίς. Est flumen illud exiguum, si Straboni fides habenda, quod inter Minyeium (h. e. Anigrum, de quo mox exponam,) et Alpheum mari infertur. Idem non diuersum puto

puto a Selino, cuius mentionem iniecit Pausanias lib. V. p. 152. *a*).

Alpheus, Ἀλφειος, nobilissimus ditionis Nestoreae adeoque totius Peloponnesi fluuius, cuius saepius meminit Homerus, v. c. Il. ε. 545. λ. 711. Mira fabulantur de hoc flumine, quae leguntur apud Virg. Aen. III. 694. seqq.

Minyeius, Μινυηϊος, qui prope Arenam mari infertur, nunc *Anigrus* dicitur. Paus. l. V. p 152. Antiquum h. e. Homericum huius fluuii nomen deducendum est a Minyis, familia nobilissima, qui Orchomeno Minyeio imperabant *b*). (§. LI.)

§. XXXVI.

a) Fluuii huius mentio fit in versu Homeri, qui apud Strabonem lib. VIII. pag. 406. (p. 350. D. Casaub.) legitur. Quem versum nec in vllo Homericorum carminum codice, nec, si bene memini, ab alio auctore, nisi a Strabone, laudatum legi. Verba haec sunt: Βαν δε παρα Κρουνους, και Χαλκιδα καλλιρεεθρον, *praetereunt Crunos et Chalcida pulchre fluentem.* Memoratur autem Straboni ante Od. ο. 295. et haud forsan immerito eum posueris in eorum numero, quos Aristarchus deleuit. Mihi sane ante Od. ο. 295. in libris nostris deesse aliquid videtur. Citatur etiam a Strabone l. X. p. 447. D. Casaub. hic Homeri versus: Βαν δε παρα Κρουνους και Χαλκιδα πετρηεσσαν, *praetereunt Crunos et Chalcida saxosam*, quem qui in nostris libris quaerit, operam ludit. *Chalcis* h. l. oppidum Elidis maritimum haberi debet.

b) ἐχει δ' ἡ ἐτυμοτης και ἀλλας ἀφορμας. εἰτ' ἀπο των μετα Χλωριδος της Νεστορος μητρος ἐλθοντων ἐξ Ορχομενου του Μινυειου ἐλθοντων Μινυων, οἱ των Ἀργοναυτων ἀπογονοι ὀντες, ἐκ Λημνου μεν εἰς Λακεδαιμονα ἐξεπεσον, ἐντευθεν δ' εἰς Τριφυλιαν, και ᾡκησαν περι την Ἀρηνην ἐν τῃ χωρᾳ, τῃ νυν Ὑπαισια καλουμενῃ κ. τ. λ. h. e. vocis (Minyeii) ratio etiam aliunde peti potest, vt nimirum nomen hoc acceperit a Minyis, qui ab Orchomeno Minyeio cum Nestoris matre venerunt. Hi enim, cum essent Argonautarum posteri Lemno expulsi Lacedaemonem, indeque in Triphyliam venerunt, habitauerunt circa Arenam in ea regione, quae nunc Hypaesia dicitur cet.

§. XXXVI.

VRBES.

Pylus, Πυλος *a*). Tres quondam Pyli fuerunt in Peloponneſo, Eliacus, Triphyliacus, et Meſſeniacus. Quaeritur quisnam eorum haberi debeat natale Neſtoris ſolum. Plerique, maxime inter veteres, Neſtorem Pylo Meſſeniae oriundum dixerunt, eo, vti mihi quidem videtur, inducti, quoniam inſequuto aeuo Pylus Meſſeniacus reliquas vrbes cognomines fama longe ſuperabat. Sed Pylus Meſſeniacus haud dubie Menelao paruit, ſicuti Epei Pylo Eliaco imperabant. Quare vterque Neſtoris haberi nequit. Hoc quidem negari non poteſt, Neſtori Gerenii nomen impoſitum eſſe a Gerenia, Meſſeniae loco; at inde neutiquam efficitur, eum Pyli in Meſſenia natum eſſe. Gereniam fuga petiit Neſtor, Pylo Triphyliaco ab Hercule capto et euerſo, ibique educatus eſt et inſtitutus *b*).

Homero igitur teſte natus eſt Neſtor Pyli in Triphylia, faepiſſime a poeta commemorati *c*). Diſerte etiam Vates in vrbium Neſtorearum recenſione Alphei fluminis, quod Pylum Neſtoreum alludit, iniicit mentionem, et poſſeſſiones Neſtoris circa vtramque Alphei ripam ita diſponit, vt quo loco ſitus fuerit Pylus hicce haud obſcure intelligatur. Pylus Neſtoris vocatur etiam *Arcadicus.* Ita enim Strabo (l. VIII. p. 337. B. Caſaub.): Ἀρκαδικος Πυλος ἐκληθη ὁ αὐτος και Τριφυλιακος, *Arcadicus Pylus eſt idem, qui Triphyliacus.* Fieri igitur nequit, quin Pylus noſter in Triphylia fuerit ad fines Arcadiae. Aberat a Meſſeniaco CCCC. ſtadiis

a) Πυλος ambigui generis eſt.

b) Conf. Strabo lib. VIII. p. 394. 395. et alibi. Vide et §. XXIX. voce *Enope.*

c) Nonnulla loca, in quibus Pyli meminit Homerus, collegiſſe ſufficiat. Il. α. 252. 269. β. 591. λ. 681. 759. Od β. 308. 317. Νηλῆος ἐΰκτιμενον πτολιεθρον, Od γ 4. αἰπυ πτολιεθρον, Od γ. 485 ο. 193. ἠμαθοεις, Il. β. 77. Od. α. 93 β 214. 326. 359. λ 256. cuius epitheti rationem ἀδηλον, *obſcuram*, eſſe, obſeruatum iam Straboni.

ſtadiis. Deletus eſt Triphyliacus, vti diximus, ab Hercule, qui vndecim quondam Nelei filios ſimul interficiebat; ſolus Neſtor, quo filio Neleus in primis clarus eſt, fuga ſalutem quaeſiuit. Il. λ. 670. ſeqq. Ad Pylum Neſtoreum tum temporis forte pertinebat Samii Apollinis templum, inter Lepreum et Annium, vbi Telemachus Pylios ſacris operantes offendit *d*).

Arene, Ἀρήνη, haud longe a Minyei (Anigri §. XXXV.) oſtio. Il. λ. 721. 722, quem ſitum reſpexiſſe Homerum, in copiarum recenſione Arenen ἐρατεινήν, *amoenam*, appellantem facile mihi perſuadeo. Pauſanias lib. V. p. 152. iis adſentitur, qui oppidum hocce non diuerſum eſſe a Samico tradunt. Strabo tamen Samicum Arenes caſtellum fuiſſe coniicit. Eſt in Meſſenia locus quidam, nomine *Erana*, inter Pylum et Cypariſſias, quem nonnulli, vti bene monet Strabo, cum Arene noſtra confuderunt. Arenes Homericae ruinas vidiſſe ſe teſtatur Pauſanias l. c.

Thryus, Θρυος, Homero Il. λ. 710. Θρυοεσσα dicta, Strabonis aeuo Epitalarium appellabatur. Eam arduo loco ad Alpheum, inque vltimis Pyli finibus ſitam eſſe, declarat poeta Il. λ. 710. 711. Dicta eſt Θρυος a θρυοις, *iuncis*, qui ibi naſcuntur multi. Prope hanc vrbem Alpheum traiici ſolere, poeta ſignificat, Θρυον Il β. 592. Ἀλφειοιο πορον appellans. De locis vadoſis cum Strabone non eſt cogitandum.

Aepy, Αἰπυ, idque ἐϋκτιτον, *bene conditum*. Locus erat natura munitus, id quod ipſum nomen arguit. Vnde eos errare apparet, qui Aepy non diuerſum eſſe iudicant a Margalis, vrbe in Amphipoli, quippe quae ſitae non erant loco natura munito. Reiicit eorum ſententiam Strabo, qui Αἰπυ vocabulum appellatiuum, non proprium eſſe exiſtimant. Idem oppidum noſtrum ſitum fuiſſe coniicit in Maciſtia, quae fuit pars Triphyliae.

Am-

d) Od. γ. 4-6. **Adde Strabon. lib. VIII. p. 399. 400.**

Amphigenia, Ἀμφιγένεια. Aberat, teste Strabone, haud procul a Macisto vrbe ad Hypsuntem fluuium. Clara quondam erat Latonae fano, quam ibi Apollinem peperisse nonnulli perhibent.

Pteleum, Πτελεον, oppidum, quod eos condidisse affirmat Strabo, qui e Pteleo Thessaliae colonias eo deduxerunt. Posterioris huius Ptelei et ipse meminit Homerus Il. β. 697. Magnam πτελεων, h. e. *iuncorum* copiam ibi fuisse perhibent, qui et ipsi oppido nomen dederunt.

Helos, Ἕλος. Nonnulli simpliciter locum quendam fuisse dicunt ad Alpheum flumen, alii vrbem; alii Helos illud prope Halorium intelligunt, vbi Eleae Dianae templum *e*).

Hactenus de Triphyliae locis, et de omnibus Nestori subiectis, quorum mentionem in Catalogo Nauium iniecit Homerus. Occurrunt praeterea hae:

Chaa, Χαα, si iis adsentiendum est, qui Il. η. 135. non Φειαν, sed Χααν legi iubent *f*).

Cruni, Κρουνοι. Conf. §. XXXV. not. a). Locum huncce inter Chalcidem et Pylum Triphyliae situm fuisse, docet Strabo, auctor grauissimus. His subiungas

Chalcidem, Χαλκιδα, locum saxosum, semel Homero memoratum, si Homericus haberi debet versus, quem legimus apud Strabonem l. X. p. 447. D. Casaub. Conf. §. XXXV. not. a).

e) Tria oppida; Thryus, Pteleon et Helos, male a Plinio H. N. l. IV. c. 5. in Messenia ponuntur.

f) Conf. §. XLIII. voce *Phea*.

§. XXXVII

§. XXXVII.

E. ARCADIA.

Il. β. 603-614. Strabo l. VIII. p. 442-444. Eustath. p. 635-642.

NOMEN ET FINES.

Arcadiae nomen, cuius originem repetunt ab Arcade, Iouis filio, apud Homerum semel tantum legitur, Il. β. 603.; Incolarum non nisi Il. β. 611. et η. 134. iniecta est mentio. Bellicosos fuisse Arcades vtroque loco poeta testatum reliquit.

Fines: Vid. §. XVIII.

§. XXXVIII.

FLVVII; MONTES.

De *Alpheo*, cuius primum in recensione vrbium, ad Pylium regnum pertinentium, meminit Homerus, iam exposui §. XXXV.

Styx, Στύξ. Od. κ. 514. In finibus Arcadiae ab alta rupe stillare hoc flumen memoriae proditum legimus apud scriptores antiquos a), nec Homerum prorsus latuit. Od. κ. 515. Conf. §. IV.

Cyllene, Κυλλήνη. Il. β. 603. Non temere *Cyllene* audit poetae nostro l. c. ὄρος αἰπυ, *mons altus*. Omnium enim, qui multi sunt, Arcadiae montium, ille est maximus. Tempore troiani belli vicatim seu per pagos habitabatur. Il. β. 603. Ab hoc monte Mercurio *Cyllenii* nomen impositum est. Od. ω. 1. b) quippe qui e Maia, Atlantis filia, ibi natus esse perhibetur Mo-nu-

a) Herodot. lib. VI. c. 74. Strabo l. c. Pausan. lib. VIII. p. 251.

b) Adde Apollod. lib. III. cap. 10. §. 2. Pausan. lib. VIII. p. 250. Virgil. Aen. VIII. 138. 139.

numentum in memoriam Aepytii vetufti herois, exftructum, cuius meminit Homerus Il. β. 604, vidit adhuc Paufanias, cui et eius defcriptionem debemus c).

Erymanthus, Ἐρύμανθος. Od. ζ. 103. d). Notiffimus mons ob aprum Erymanthium, ab Hercule captum e).

Taygetus, Ταΰγετος. Od. ζ. 103. Incipit hic mons in Arcadiae finibus, fiue potius Arcadicorum montium radices attingit. Conf. §. XXIX.

§. XXXIX.

OPPIDA; VICI; PAGI.

Mantinea, , Μαντινεια, quae ab Homero ἐρατεινη, *amabilis*, appellata eft, a Mantineo, Lycaonis filio, nomen accepit. Eft autem locus notiffimus ob alterum praelium, quo Lacedaemonios Thebani, Epamiuonda duce, vicerunt. Antiquae Mantineae rudera Paufaniae adhuc aeuo fuperfuiffe quaedam ex huius fcriptoris lib. VIII. p. 247. apparet.

Tegea, Τεγεα. A Tegeo, Lycaonis filio, vti refert Paufanias lib. VIII. p. 274. et vrbs et regio circa eam nomen accepit. De fitu Tegeae aliquid coniectare licet ex Polybio, qui lib. IV. c. 82. Philippum ex Megalopoli profectum per Tegeam ducto exercitu perueniffe Argos fcribit. Tegeae olim conuentus egerunt Achaei, cum aduerfus Lacedaemonios bellum gererent a) Mediocri conditione erat haec vrbs Strabonis aetate; Τεγεα, inquit ille, ἐτι μετριως συμμενει, *Tegea adhuc mediocriter fe fuftentat.*

Or-

c) Paufan. lib. VIII. p. 250.

d) Refpexit fane hunc Homeri locum Paufanias lib. VIII. p. 255 Cum autem fcribit: ἐποιησε δε Ὁμηρος, ὡς ἐν Ταϋγετῳ τε και Ἐρυμανθῳ θηρευτης ἠν της Λακαινας ὁ Ἐρυμανθος, hoc teneamus neceffe eft: Homerum ea, quae h. l. narrat Paufanias, nec laudato loco, nec, quantum fcio, vllo alio loco teftatum reliquiffe.

e) Apollod. lib. II. cap. 5. §. 4. confer. Ill. Heyne ad Apollod. p. 350.

a) Liu. lib. XXXV. c. 27. lib. XXXVIII. c. 34.

Orchomenus, Ὀρχομενός. Caue hunc locum confundas cum Orchomeno Minyeio in Boeotia. (§. LI.) Homerus vtrumque epithetis fatis diftinxit. Noftrum πολυμηλον, *pecorofum*, appellat.

Parrhafia, Παῤῥασίη. Arcadiae regionem, per pagos habitatam, eo nomine fignificat Homerus. *Parrhafii* funt notiffimus Arcadiae populus circa Parrhafium montem *b*) Male Plinius *c*) Parrhafiae nomine vrbem putat a poeta indicari.

Pheneus, Φενεος, cuius conditorem Pheneum indigenam fuiffe, incolae contendunt. Inundatione deleta eft Pheneus. Paufan. lib. VIII. pag. 248.

Ripe, Ῥιπη. Locus obfcurus et ignotus.

Stratia, Στρατιη, dicta a Stratia heroina.

Enifpe, Ἐνισπη. Vocatur ἠνεμοεσσα, *ventofa*, quo epitheto poeta fatis declarat, Enifpen excelfo loco fuiffe fitam *d*).

Stymphalus, Στυμφαλος, prope lacum cognominem. Quae de auibus Stymphalidis, ab Hercule occifis, narrantur, neminem fugiunt. Apollod. l. II. c. 5. §. 6.

Acacefium, Ἀκακησιον. Hocce Arcadiae oppidum Homero probe innotuiffe inde colligo, quoniam ab eo Mercurius ἀκακητα Il. π. 185. et ἀκακητης Od. ω. 10. appellatur. Condita eft ab Acaco, vno e filiis Lycaonis, quem ipfum Acacum Mercurii nutricium fuiffe hac in vrbe, vnde et haec Mercurii epitheta deducunt, Arcadum fermo vulgauit. Paufan. l. VIII. p. 238. 267. Vulgaris igitur horum epithetorum explicatio plane eft reiicienda. Oe-

b) Paufan. lib. VI. p. 185. l. VIII. p. 258.

c) Hiftor. Natur. lib. IV. cap. 6.

d) Fuiffe, qui Rhipen, Stratiam et Enifpen, infulas in Ladone, Arcadiae fluuio, fitas, easque olim frequentatas, exiftimarent, docet nos Paufanias lib. VIII. p. 251. Quam tamen fententiam idem grauiffimo refutat argumento.

Oechalia, Οἰχαλίη. Il. β. 596. Hanc, vt vulgo faciunt, de Oechalia Arcadica accipi non posse, ex Il. β. 730. apparet.

§. XL.

F. ELIS.

Il. β. 615 - 624. Strabo lib. VIII. p. 391. seqq. Eustath. p. 642-646.

NOMEN; FINES; INCOLARVM NOMINA.

Elidis nomine, quo postmodum vocabatur non Elis solum, strictius sic dicta, sed Pisatis etiam et Triphylia, antiquissimis temporibus non nisi ea significabatur regio, quam Il, β. 616. 617. expressit Homerus. Quam regionem haud raro commemoratam esse a poeta nostro, facile quisque videbit *a*). Elidem vero sensu latissimo belli troiani tempestate in duas diuisam fuisse partes, quarum alteri Epei imperabant, alteri Nestor, declarat Vates Il. β. 615. seqq. coll. 591. seqq. Quin et ex Od. ν. 275. coll. Il. ε. 545. haud difficili negotio euincitur.

Elidem, qualis ea depingitur ab Homero, eodem tempore tenuerunt, qui plerumque *Epei*, Ἐπειοὶ, interdum *Eli*, Ἠλεῖοι, ipsi dicuntur. Epeorum nominis origo repetenda est ab Epeo, qui fuit Endymionis filius, Elidisque princeps: Elei autem appellati sunt ab Eleo, Endymionis nepote, Epei successore. Vtrumque et Pausanias lib. V. princ. p. 148. testatum reliquit. Exiguam Elidis stricte sic dictae regionem tenuerunt ea aetate Caucones, Καύκωνες, Homero Od. γ. 366. memorati, de quibus vide §. XLI.

§. XLI.

DE CAVCONIBVS, QVORVM MEMINIT HOMERVS OD. γ. 366.

Iam igitur de *Cauconibus* exponam, Homero Od. γ. 366. memoratis, quorum nomine, vti mihi quidem videtur, apud poetam

a) Vide Il. λ. 672. 685. Od. ν. 275. ο. 297. φ. 347.

poetam nostrum intelligendi sunt ii, qui prisco aeuo exiguam Elidis, stricte sic dictae regionem tenuerunt. Etenim non Elidem solum, sed et Triphyliam et Arcadiam Caucones incoluisse, apud omnes in confesso est. Eam vero sententiam, quam primo loco commemoraui, omnium maxime consensu esse firmandam et potiori loco habendam puto, non tam, quoniam in eadem doctissimus Geographiae Homericae interpres, Strabo lib. VIII. p. 400. 401. fuisse deprehenditur, quam, quia iam antiquissimi quique, si a paucis recesseris, Homeri interpretes, ita senserunt. Caucones quondam suppetias tulisse Troianis nemo negabit, qui Il. ν. 329. seqq. inspexerit. At, vnde venerint, incertum est; eos tamen e Bithynia venisse, facile aliquis sibi persuadere posset. Bithyniae enim oram maritimam, a Mariandynis vsque ad Parthenium fluuium, Caucones tenuisse, memoriae proditum legimus apud Strabonem lib. XII. p. 637. Qui Strabonis locus, aliorum quoque scriptorum testimoniis confirmatus, quomodo possit conciliari cum alio eiusdem auctoris loco, qui lib. VIII. p. 400. exstat, plane non video, nisi olim regio ea, quam Caucones et Mariandyni incolebant, ad Paphlagoniam pertinuit. Laudato enim loco vtrumque populum in Paphlagonia ponit. Quae si recte se habent, non iam e Bithynia, sed ex Paphlagonia venisse Caucones dicendi sunt. Confirmatur haec sententia duobus his versibus, quos post Il. β. 855. inferunt nonnulli:

Καυκωνας αὐτ' ἦγε Πολυκλεος ὑιος ἀμυμων
Οἱ περι Παρθένιον ποταμον κλυτα δωματ' ἐναιον;

h. e. *Caucones duxit Polyclis filius praeclarus, Qui circa Parthenium fluuium (inclytas domus) habitabant.* Forte tamen tum temporis Cauconum et Mariandynorum regio nec ad Paphlagoniam pertinuit, nec ad Bithyniam. Conf. §. CXXX.

Quod reliquum est, data occasione, duo adhuc strictim attingere mihi liceat, alterum, quod Elidem pecuaria floruisse, testatur Homerus noster Od. φ. 347. alterum, quod graue

 bel-

bellum ipsi memoratur Epeos inter et Pylios gestum, de quo bello exponit Nestor Il. λ. 670. seqq.

§. XLII.

FLVVII; MONTES.

Enipeus, 'Ενιπευς, Od. λ. 237. exiguus fluuius, quem ex Salmone fonte profluere memorat Strabo lib. VIII. p. 412. Vates eum noster appellat καλλιςον ποταμων, *pulcherrimum fluuium*, Od. λ. 237. ea forte de caussa, quoniam huic quondam se assimilasse perhibetur Neptunus, cuius amore captam fuisse Tyronem narrat Homerus Od. λ. 234. seqq. Nonnulli tamen, fabulam hancce ad Enipeum, Thessaliae flumen, reuocarunt *a*).

Selleis, Σελληις. Il. β. 659. ο. 531. Demetrium Scepsium sequitur Strabo, qui monuerat, ad Ephyram Thesproticam Selleentem esse nullum, eum vero esse Elidis fluuium. A qua sententia recedit Apollodorus fragment. p. 1108-1111. amnem Selleentem, cuius locis citatis meminit Homerus, in Thesprotia esse quaerendum, praecise affirmans. Dubitatur autem de Selleente in Thesprotia *b*).

Iardanus, 'Ιαρδανος, flumen exiguum, cui adiacebat Phea. Conf. §. XLIII. voce *Phea* pag. 56.

Olenia Petra, Ωλενιη πετρη. Mons hicce, cuius mentio Il. β. 617. λ. 756. idem esse perhibetur, qui postmodo *Scollis* appellari coepit. Scollis mons saxosus est, cui adiacebat vicus, nomine *Petra*, quem ab Olenia Petra, Homero memorata, non diuersum esse quidem contenderunt.

a) Apollod. lib. I. cap. 9. §. 7. 8. conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 146 seqq.

b) Conf. Strabo lib. VII. p. 380. l. VIII. p. 393.

§. XLIII.

VRBES; OPPIDA.

Quae in Catalogo Nauium recenſentur Elidis vrbes et oppida, hae ſunt:

Bupraſium, Βουπρασιον, cuius nomen et Il. λ. 755. 759. occurrit. Ciues fuiſſe Epeos, ex Il. ψ. 630. 631. apparet. Buprafium non exſtare amplius, locum duntaxat nomen retinere in via, ab Elide ſua aetate Dymen ferente, Strabo auctor eſt.

Hyrmine, Ὑρμινη, oppidum, Strabonis tempore deletum. Condidit Hyrminen Actor, Phorbantis et Hyrminae filius, Epei ex filia nepos, qui de matris nomine vrbem ſuam denominauit. Pauſan. lib. V. p. 148.

Myrſinus, Μυρσινος, poſtea Myrtuntium, pagus erat Strabonis aeuo in via, quae ab Elide Dymen ducebat. Aberat ab Elide vrbe, poſt Iliaca tempora condita, LXX. ſtadiis in ora maritima, vnde et Homero ἐσχατοωσα, *extrema*, dicitur.

Aleſium, Ἀλεισιον, oppidum haud longe ab Amphilochide, in via montana, quae ab Elide Olympiam ducebat, Strabonis tempore Aleſiaeum appellatum. Eundem locum Homerus Il. λ. 756. κολωνην Ἀλησιου vocat, vnde Aleſium oppidum loco excelſo ſitum fuiſſe conſtat.

Hactenus de oppidis, Homero in Catalogo Nauium memoratis. Reſtat, vt de *Ephyra* et *Cyllene* pauciſſima ſubiungam.

Ephyra, Ἐφυρη. Il. β. 659. ο. 531. Si ea recte ſe habent, quae §. XLII. de Seleente fluuio in Elide quaerendo, ſtrictim attigi, fieri nequit, quin Ephyra iisdem locis memorata de Eliaca Ephyra accipi debeat *a*). Ephyra vrbs natalis eſſe videtur Aſtyocheae, matris Tlepolemi, quem ea peperit Herculi Il. β. 657-659. Eandem vrbem vel plane non diuerſam eſſe ab Oenoa, vel huic

a) Conf. Strabo lib. VII. pag. 380. lib. VIII. p. 393.

huic finitimam fuisse, relatum legimus apud Strabonem l. VIII. p. 393. *b*).

Cyllene, Κυλλήνη, natalis vrbs Oti, Epeorum ducis, qui ea de caussa *Cyllenius* audit Homero Il. ο. 518. 519, distans ab Elide vrbe, cuius et nauale erat, CXX. stadiis. Pausan. lib. VI. p. 204.

Pisatidis oppida, Epeis subiecta, occurrunt haec:

Phea, Φειὰ, ad Iardanum fluuium. Il. η. 135. Sita erat eo in loco, vbi Letrini oppidum in mappa D' Anuilliana legitur. Ille enim fluuius, cui secundum D' Anuillium adiacet Letrini, Iardanus est. Fuerunt, qui apud Homerum l. c. Χάας legi iuberent, vti refert Strabo. Quorum haec fuit sententia, ii de hoc loco bellum gessisse Arcades et Pylios contenderunt illud, cuius meminit Vates Il. η. 133. seqq. Conf. §. XXXVI. voce *Chaa*.

Pherae, Φεραί. Od. ο. 296. Maritima vrbs erat ad Chalcidis ostia.

§. XLIV.

INSVLAE.

Insularum prope Elidem in vniuersum meminit Homerus Od. φ. 347, ita tamen, vt nullam diserte commemoret. Aliis in locis frequens Zazynthi mentio, quam e regione Elidis iacere constat, cuius tamen hic nomen profiteri sufficiat. Plura inuenies de hac insula §. LXVIII.

b) Strabo h. l. vt hoc moneam obiter, repugnantia tradit. Vt enim probet Ephyram Eliacam, non Thesproticam Il. β 659. et ο. 531. esse intelligendam, nullam aliam Ephyram, nisi Eliacam, ad Selleentem fluuium sitam fuisse, praecise affirmat. Mox tamen recte docet, et Ephyram, Sicyoniae pagum, et Ephyram in Agraeorum, Aetoliae partem tenentium, regione sitam, fluuiis adiacere, eodem nomine vocatis, quo ille appellabatur, cui adiacet Ephyra Eliaca.

II.

II. ALTERIVS GRAECIAE PARTIS DESCRIPTIO, QVAE POSTEA HELLAS SENSV STRICTIORI APPELLATA EST.

§. XLV.

A. ATTICA.

Il. β. 546 - 556. Strabo lib. IX. p. 454. Euftath. p. 590 - 596.

REGIONIS ET CIVIVM NOMINA; ATTICAE FINES.

Omnem Atticam Homerus *Athenarum*, 'Αθηνων, nomine denotat Od. γ. 278. Sunium appellans 'Αθηνων promontorium; ciues vero totius Atticae et *Athenienfes*, κουρους 'Αθηναιων, Il. β. 551. et *Iaones*, 'Ιαονες, Il. ν. 685. appellat. Iaones nomen acceperunt ab Ione, Xuthi filio, qui, Achaia pulfus ab Achaeo fratre, Atticam cum fuis commigrauit *a*). Fertilitatem primae huius Helladis regionis declarat Vates Od. λ. 322. Ceterum hoc probe teneamus neceffe eft, *Megarenfium* rempublicam tum temporis ab Attica nondum fuiffe feiunctam. Strabo l. IX. p. 454.

§. XLVI.

VRBES; OPPIDA.

Athenae, 'Αθηναι, ἐϋκτιμενον πτολιεθρον, *vrbs bene condita*, Il. β. 546. 'Αθηνη εὐρυαγυια, *Athena latas vias habens*, h. e. Athenae, magna vrbs. Od. η. 80. Priorem locum ita explicat Strabo l. c. vt et Megarenfes et Athenienfes intelligat omnes, qui ad bellum Troianum profecti funt. Erat Athenis (id quod vel ex ipfo

a) Wood l. c. non nolle videtur Iaonum nomen deducere a יָוָן, Iapheti filio.

ipso Homero Il. β. 551. seqq. constat) longe celeberrimum templum Mineruae, tutelaris Athenarum numinis, in cuius honorem Panathenea celebrabantur; quorum solennium originem vulgo ad Erichthonium referunt *a*), qui non diuersus est ab Erechtheo, Homero Il. β. 547 *b*). laudato. Probabilius tamen eam ad Theseum referri monuit Heynius, Vir Clarissimus, ad Apollod. p. 837. *c*) (hod. Athiniah. Arabes Athenas appellant Medinat al Zaitunah. s. Medinat al Hokama.)

Sunium, Σουνιον, promontorium, Od. γ. 278. idque ἱερον, ***sacrum***, ob fanum Suniadis Mineruae. Pausan. lib. 1. princ.

Marathon, Μαραθων. Od. η. 80. Datis Persae clade postea celebris locus.

§. XLVII.

INSVLAE PROPE ATTICAM.

Salamis, Σαλαμιν. Il. β. 557. Celeberrima est et Aiace, Telamonii filio, antiquo suo domino, et proelio nauali, quo a Graecis victus est Xerxes. Controuersia de hac insula Athenienses inter et Megarenses notissima est *a*). Memorat Eustathius, Salaminem *Pityusam*, Πιτυουσαν, vocatam a pinorum, quae ibi nascuntur, copia.

Cranaë, Κρανaη, h. e. aspera, postmodum *Helena* appellari coepit a concubitu Paridis et Helenae. Il. γ. 443-445. Conf. Strab. l. IX. p. 461.

§. XLVIII.

a) Apollod. lib. III. cap. 14. §. 7. p. 268. 269.

b) Il. β. 547. poeta Athenas appellat δημον Ἐρεχθῆος. De ciuium Athenarum in δημους diuisione non erit nobis cogitandum. Δημος h. l. idem valet ac πολις et πολις pro ipso ὀχλῳ dicta.

c) Vocula μιν Il. β. 550. potest et ad Erechtheum referri; probabilius tamen ad Mineruam. Abhorret enim a vero, Athenienses in Erechthei honorem festum celebrasse.

a) Strabo lib. IX. p. 456. Eustath. ad h. l. p. 597. Clarkius ad h. l.

§. XLVIII.

B BOEOTIA.

Il β. 494-510. Strabo lib. IX. p. 462-476. Eustath. p. 522-552.

REGIONIS ET INCOLARVM NOMINA; FINES BOEOTIAE.

Boeotia, dicta a Boeoto, Itoni filio, et Amphictyonis nepote, omnium Graeciae regionum primo loco et copiosissime descripta ab Homero in recensione copiarum, cuius rei rationes, quae multae afferuntur ab interpretibus, enumerare hic nihil attinet. Incolae et Βοιωτοί Il. β. 494. et κοῦροι Βοιωτῶν Il. β. 510. appellantur. Fines Boeotiae ea aetate eidem fere fuerunt. quae insequuto aeuo; sola Orchomenus tum temporis a reliqua Boeotia adhuc seiuncta erat. Vid. §. LI.

§. XLIX.

FLVVIVS; LACVS.

Asopi, Ἀσωποῦ, bis Il δ. 383. κ. 287. mentio fit. Vtrumque locum de Asopo Boeotiae intelligendum esse, ex ipsa orationis serie liquido apparet; plures enim fluuios memorari veteribus, huic cognomines, quos tamen singulos commemorare hic nihil attinet, quis est, qui nesciat? Asopus, de quo loquimur, agrum Thebanum et Plataeensem dirimit. Strabo lib. VIII. pag. 437. Eum Homerus Il. δ. 383. βαθυσχοίνον, *iuncosum a*) et λεχεποίην, *herbosum*, appellat, quae quid significent epitheta, facile quisque videt.

Cephissis, Κηφισσίς. Scholiorum minorum auctor putat, Homerum Il. ε. 709. Cephissi fluminis facere mentionem, qui in Co-

a) Laus haec fluuiorum apud Veteres. Inde statua in honorem dei, fluminis cuiusdam praesidis collocata, iunco redimita.

Copaidem, Boeotiae lacum, ſe immittit. Verba enim Homerica λιμνῃ Κηφισσιδι, quae laudato loco occurrunt, explicat verbis: τῳ Κηφισσῳ ποταμῳ. At fluuius ille vocabatur, non, vti hic legitur, Cephiſſis, ſed Cephiſſus. Ego vero, ſi quid video, ipſum lacum Copaidem intelligendum eſſe iudico, quem, vt alia eius nomina, quae olim obtinuerunt multa, ſilentio praetermittam, Cephiſſidem quoque vocatum fuiſſe, ex aliis ſcriptoribus compertum habemus, v. c. e Pauſania lib. IX. p. 299. Conf. §. L. voce *Hyla*, et §. LII.

Hylicam paludem nonnulli ab Homero Il. ε. 709. ſignificari putant. Vid. §. L. voce *Hyla*.

§. L.

VRBES ET OPPIDA.

Thebae a). Θηβη, Od. λ. 264. 274. Θηβαι, Il. κ. 286. φ. 679. rel. Ὑποθηβαι, *Subthebae*, Il. β. 505. Thebas, quas aliquamdiu poſt exſtructam Cadmeam acropolin conditas eſſe, ex multis ſcriptoribus compertum habemus, ipſo Homero teſte Amphion Zethusque, Aſopi ex Antiope filia nepotes, condiderunt, moenibusque cinxerunt. Od. λ. 259. ſeqq. *b*). Vrbs erat ἑπταπυλος, Homer. l. c. quo nomine a Thebis Aegyptiis, magna illa et celebrata vrbe, quae ἑκατονπυλοι erant, facillime diſtinguitur. Duo epitheta, ſi a mere ornantibus, v. c. Od. λ. 274. receſſeris, Thebis noſtris adiecta ſunt ab Homero; vtrumque tamen per ſe planum eſt et perſpicuum, ideoque fuſiori explicatione indiget nulla. Altero enim loco, Od. λ. 264. Θηβη dicitur εὐρυχορος, *ſpatioſa*, altero autem Il. β. 505. ἐϋκτιμενον πτολιεθρον, *bene aedificata vrbs*.

a) Primum de Thebis exponam; tum vero in vrbium et oppidorum Boeotiae recenſione ſequar ordinem, ab Homero ſeruatum.

b) Subiungit Homerus Od λ. 263. 264. rationem, qua ad muniendas Thebas Amphion Zethusque adduci ſe paſſi ſunt. Munita autem fuerat vrbs aduerſus Phlegyas. Vid. Apollodor. lib. III. cap. 5. §. 5. et Ill. Heyne ad Apollod. p. 583.

vrbs. Etenim hunc quoque locum, in quo non Θῆβαι sed Ὑποθῆβαι legitur, de Thebis Boeotiae esse accipiendum, illico probare aggrediar, cum antea adhuc monuero, Thebis nomen imposuisse Antiopes filios a Thebe Nympha, Promethei filia, cum qua ipsis cognatio fuit. Pausan. l. IX. p. 285.

Mirum iudicarunt iam antiquissimi Homericorum carminum interpretes, quod in Boeotiae locorum recensione, in Catalogo Nauium obuia, nullam Homerus Thebarum iniecerit mentionem. Ὑποθῆβαι quidem, nomen bonae interpretum parti obscurum, occurrunt; at nihil de Thebis. Quare cum statim assequi illi interpretes non possent, quaenam vrbs, aut quisnam alias locus eo nomine significaretur, de Thebis non cogitantes, poetam eas in Catalogo Nauium commemorare negarunt simpliciter. Affirmare potius non erubuerunt, Thebanos non interfuisse proeliis, ante Ilium commissis, dicentes, Thebas tum temporis ob Epigonorum expeditionem fuisse desertas. Rectius e contrario alii contenderunt, Thebanos omnino bello interfuisse Troiano, eos autem tum, relicta Cadmea acropoli, ab Epigonis capta et euersa, Thebas, vrbem inferiorem, tenuisse, impeditos ab hostibus, quo minus acropolin reficerent. Quod mihi quidem ad veritatem proxime accedere videtur, licet plane negari non possit, Thebanos aliquamdiu ipsam vrbem inferiorem reliquisse, et Alalcomenas, Boeotiae oppidum, habitasse. Strabo l. IX. p. 463. coll. p. 475.

Quod cum ita sit, nec vllam admittat dubitationem, non nisi vnum hoc mihi video esse faciendum, vt demonstrem, Ὑποθήβων nomine ipsas Thebas, quas in Boeotiae locorum recensione doctissimi Homeri interpretes desiderabant, a poeta significari. Sententiam vero hancce Strabonis verbis probare mihi liceat; dubium enim non est, quin rem acu tetigerit Strabo c), licet incertus haerere videatur.

Hyria,

c) Locus de *Subthebis* qui apud Strabonem lib. IX. p. 474. occurrit, haec verba habet: το δ' οὕτω ῥηθεν: Οἱ δ' Ὑποθήβας εἶχον — —

 οἱ

Hyria, Ὑρη, oppidum, haud longe ab Aulide et Tanagra diſſitum, cuius conditor Hyrieus, Neptuni et Alcyones filius fuiſſe perhibetur. Fuerunt, qui dicerent, Θυρειν oppidi huius nomen fuiſſe; quam tamen ſententiam vetuſtiſſimus Scholiaſtes

οἱ μεν δεχονται πολιδιον τι Ὑποθηβας καλουμενον, οἱ δε τας Ποτνιας. τας γαρ Θηβας ἐκλελειφθαι δια την των Ἐπιγονων στρατειαν, και μη μετασχειν του πολεμου του Τρωικου — οἱ δε, μετασχειν μεν, οἰκειν δε ὑπο τη Καδμεια τοτε ἐν τοις ἐπιπεδοις χωριοις μετα την των Ἐπιγονων ἐφοδον, την Καδμειαν ἀδυνατουντας ἀνακτισαι. Ἐπει δ' ἡ Καδμεια ἐκαλειτο Θηβαι, ὑπο Θηβας εἰπειν ἀντι του ὑπο τη Καδμεια οἰκουντας, τον ποιητην τους τοτε Θηβαιους, h. e. ***quod autem Homerus de Subthebis dixit, id alii intelligunt de quodam oppidulo, ſic appellato, quidam de Potniis. Thebas enim deſertas fuiſſe ob Epigonorum expeditionem, itaque non fuiſſe in ſocietate belli troiani; alii interfuiſſe ei bello Thebanos dicunt, ſed tunc in planis habitaſſe locis infra Cadmeam, cum poſt Epigonorum impreſſionem non valerent eam reficere, et quia Cadmeae nomen eſt Thebae, Thebanos, qui tunc erant ſub Thebas, dixiſſe Homerum pro eo, quod erant ſub Cadmea habitantes.***

Quod reliquum eſt, cum in hoc nomine, Ὑποθηβας dico, multi veterum interpretum haerere deprehenduntur, et, ſi quaeritur, quisnam Boeotia locus eo nomine ſignificetur, eorum mire diſcrepent ſententiae, harum opinionum recenſionem hactenus dictis, tribus adhuc verbis, ſubiungam. Ex Strabonis loco, quem transſcripſi, conſtat, alios putaſſe, oppidulum quoddam fuiſſe, Ὑποθηβαι dictum, alios, Potnias eo nomine denotari. Nec defuerunt, qui eos pagos intelligendos eſſe iudicarint, qui ſubiecti erant Thebis ἑπταπυλοις, teſtibus Euſtathio aliisque. Cum ſumma modeſtia locum hunc tractat auctor Scholiorum ineditorum Manuſcripti Hamburgenſis apud *Volborthium* V. Cl. in Biblioth. Philol. qui quidem, perſuaſum ſibi habens non Ὑποθηβας ſed ὑπο Θηβας legendum eſſe, πολιχνιον Homerum ἀνωνυμον innuere putat. Sed variae hae ſententiae merito non admittuntur. Soli ii probandi, qui Ὑποθηβων nomine ipſas Thebas ſignificari ſtatuunt. Quibus ſic expoſitis, de eo: legendumne ſit Ὑποθηβας, an ὑπο Θηβας, non eſt, quod hactenus dictis aliquid ſubiungam.

ftes *d*) neutiquam admittit. Omiffa eft a D'Anvillio in tabula Graeciae. Alia eft Hyria, antiquum Zacynthi infulae nomen, tefte Plinio h. n. IV. 12, quam male a Zacyntho diftinxit Mela.

Aulis, Αὐλις, notiffimum Boeotiae oppidum, Chalcidi oppofita ad Euripum, portu in primis inclyta, in quem conuenire iuffa eft Argiuorum claffis, mala ferens Troianis. Il. β. 303. Homerus Aulida dicit πετρηεσσαν, *faxofam*, qualem fere fuiffe alii fcriptores confirmant.

Schoenus, Σχοινος, fita eft in via, qua Thebis Anthedonem itur, diftans a Thebis quinquaginta ftadiis. Nomen habet a Schoeneo Boeoto. Paufan. l. VIII. p. 266.

Scolus, Σκωλος, Straboni δυσοικητος τοπος και τραχυς, *locus habitatu difficilis, et afper*, dicitur, vnde in prouerbium abiit hoc: εἰς Σκωλον μητ' αὐτος ἰμεν, μητ' ἀλλῳ ἑπεσθαι, quod vertunt: *Nec Scolum ipfe ibis nec alium fequeris euntem.* Sita perhibetur fub Cithaerone. Scoli rudera XL. ftadiis ab Afopo fluuio vidit adhuc Paufan. l. IX. p. 285.

Eteonus, Ἐτεωνος, quae poftea Scarphe, nomen habet ab Eteone, Boeoti filio. Homero dicitur πολυκνημος, vnde eam apparet in deuexitate fuiffe fitam. Omiffa eft a D'Anvillio in tabula Graeciae.

Thefpia,

d) Οἱ Θυριην γραφοντες ἁμαρτανουσι, *qui Thyriam fcribunt peccant.* Vid. Volborthii V. Cl. Bibl. Phil. p. 339 Ὑριην tamen veram effe lectionem, neutiquam e loco quodam, quem Hefiodi effe contendunt, euincitur. Hefiodo enim adfcribunt hunc verfum: Ἡν δη Ὑριη Βοιωτιης τρεφε κουρην, cuius tamen fragmenti fidem in dubitationem vocant. At fi genuinus effet, tamen clariff. Politus ad Euftath. p. 528. probatum dedit, Hefiodum non Hyriam Homeri, fed Hyfias Parafopiae intelligere. Hyfias enim Hyriam quoque appellatam, etiam Strabo teftatur. Ceterum cum cautione vtaris, quae de Hyria ex Strabone transfcripfit Euftathius, quem h. l. non fatis intellexiffe Strabonem Politus oftendit.

Thespia, Θεσπεια. quae postmodum Thespiae, condita dicitur a Thespio, quam cum Thestio confundas nolim *e*). Alii tamen eam vocatam volunt a Thespia, Asopi filia. Pausan. l. IX. p. 301. Ibi praecipuus fuit Cupidinis cultus, eiusque statua celeberrima. Musae appellantur Thespiades, quoniam haud longe a Thespiis antiquissimum erat in Helicone delubrum, ipsis sacrum.

Graea, Γραια. Hoc oppidum esse Tanagram contendunt Strabo l. c. et Stephanus voce Τανάγρα. Ad Tanagram victi olim sunt Athenienses a Lacedaemoniis referente Thucydide l. I. Non desunt tamen, qui inter Tanagram et Graeam distinguant.

Mycalessus, Μυκαλησσος, εὐρυχορος, *spatiosa*. Hoc epitheto (nam explebo h. l. quod supra saepius silentio praetermisi) Mycalessum in planitie fuisse sitam, satis declarat poeta. Χορος enim non solum *choream* denotat, sed ipsum quoque locum, in quo choreae aguntur h. e. planitiem, locum planum et patentem *f*). Sita est in via, quae Thebis Chalcidem tendit. De eius ruinis vide Pausaniam libro IX. p. 296.

Harma, Ἁρμα, Strabonis aetate vicus erat desertus. Ibi Amphiaraus cum curru terrae hiatu interceptus dicitur. Apollod. l. III. c. 6. §. 8. A qua narratione recedit ea, quae exstat apud Strabonem, quippe qui Amphiaraum pugnantem e curru eo loco prolapsum tradit, in quo postea in eius honorem et memoriam fanum exstructum est, currum vero delatum esse eum in locum, qui in huius rei memoriam Harma appellari coepit. Vid. et Pausan. l. I. p. 33. Alii Adrasti currum ibi diffractum esse perhibent. Thebis Harma eunti ad dextram fuit Hyria, ad sinistram Graea seu Tanagra, teste Strabone. Oppidi nostri ruinae Pausaniae

e) Nota est iam ab antiquis facta confusio Thestii et Thespii, Thestiadum et Thespiadum. Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 331.

f) Alii posterioris huius vocabuli significationis haud memores, εὐρυχορον dixisse Homerum pro εὐρυχωρον contendebant, quam tamen coniecturam ne vllo quidem simili exemplo confirmare valent.

faniae aetate fupererant nonnullae. Paufan. l. IX. p. 296. Deeft Harma in tabula D'Anvilliana.

Ilefium, 'Ειλεσιον, ex mente Strabonis ita appellatur δια το επι τοις ελεσιν ιδρυσθαι, *quod prope lacus fita effet*. Alii 'Ειλεσιον, *Helefium*, fcribunt, et fic quoque legundum puto in Plinio IV. 7. pro *Hyrefion*. Omifit Ilefium D'Anvillius in tab. Graeciae.

Erythrae, 'Ερυθραι, dictae ab Erythro, Leuconis filio, Athamantis nepote. Paufan. lib. VI. p. 200. Earum colonia Erythrae, Ioniae ciuitas, e qua, tefte Strabone, Sibylla fuit Erythraea Alexandri Magni aetate. Erythrarum Boeotiae rudera fub Cithaerone agri Plataici Paufaniae aetate adhuc cernebantur, vti teftatur ipfe l. IX. p. 283.

Eleon, 'Ελεων, poetae et Il. ϰ. 266. memoratum. Locus erat paludofus, id quod et nomen arguit. Omifit eum D'Anvillius in tabula Graeciae.

Hyla g), 'Υλη, vrbs prope lacum Cephiffidem fita, tefte Homero Il. ε. 708. 709. η. 221. Quaeritur autem, de quonam Boeotiae palude intelligi debeat lacus Cephiffis, quem commemorat Homerus loco laudato, de Copaide, an de Hylica? Mihi res expedita videtur. Etenim cum inter omnes conftet, lacui Copaidi plura fuiffe nomina, priusquam Copaidis nomen obtinuit, partim a finitimis oppidis, partim a fluminibus, in cum exeuntibus (in quorum numero habendus eft Cephiffus; vid. et Diodor. XVI. 37.) ipfi impofita, non poffum, quin Copaidem intelligam. Strabo e contrario contendit, Homerum Hylicam innuere paludem, quoniam ab Hyla vrbe Hylica palus denominata fit. Quod fane argumentum, maiorem in modum infirmum tenueque mihi videtur. Euftathius quoque Cephiffidem lacum Hylicam etiam appellari contendit; quae fententia quomodo accipi poffit, docet Politus V. Cl. ad Euftathium p. 567.

Ean-

g) Homerus priorem fyllabam nominis 'Υλη et corripit, Il. β. 500. et producit. Il. η. 221.

Eandem ſententiam, quam tueor, vt alios teſtes nunc quidem taceam, Pindari quoque teſtimonio confirmatur, qui Copaidem lacum appellat Cephiſſidem. Scholiaſtes ſimpliciter lacum dictum eſſe Homero pro fluuio contendit. Conf. §. XLIX.

Quod reliquum eſt, eorum neutiquam probanda ſententia, qui, quantum equidem ſcio, contra omnium Codicum conſenſum Hydam (Ὕδην) pro Hyla ſubſtituunt; ſaltem Il. η. 221. Hydam legere malunt. At inde Aiacem ſcutum petiiſſe, a Tychio fabricatum, Il. η. 219-221. vero ſimile non eſt. Hyda vrbs erat Lydiae, de qua infra exponam; ea enim Homero Il. υ. 384. memoratur. Omiſit Hylam D'Anuillius in tabula Graeciae.

Peteon, Πετεων, Strabonis aetate vicus erat haud longe a via, quae Anthedonem ducit. Deeſt quoque Peteon in mappa D'Anvilliana.

Ocalea, Ὠκαλεη, inter Haliartum et Alalcomenas media; vtrinque enim XXX ſtadiis diſtat. Nomen habet a praeterfluente fluuio Ocalio. Alii Ὠκαλεια ſcribunt, v. c. Apollod. lib. II. cap. 4. §. 11. p. 113.

Medeon, Μεδεων, ἐϋκτιμενον πτολιεθρον Homero dictus. Finitima erat vrbs Oncheſto et ſub Phoenicii montis radicibus ſita, vnde interdum et *Phoenicis* appellatur. Erat et in Phocenſium regione Medeon vrbs. Noſtra in mappa D'Anuilliana non exſtat.

Copae, Κωπαι, pagus, vicinus Copaidi paludi. Indigetem habuit heroem Copieum, a quo et nomen accepit.

Eutreſis, Ευτρησις, Strabonis aeuo pagus erat exiguus prope Theſpias, de quo non niſi hoc fere conſtat, quod Amphion, Zethusque, antequam Thebis regnarent, ibi habitaſſe perhibentur. Non legitur in tabula D'Anuill.

Coronea, Κορωνεια, vrbs celebris, Heliconi finitima, in loco excelſo ſita. Hanc Boeoti, vt narrant, Troia capta, in patriam reuertentes, occupauerunt. Panboeotia ibi celebrabantur.

Ho-

Haliartus, Ἁλιαρτος, vrbs fama aeque ac amoeno ſitu celebrata. Agrum enim haliartium medium ſecabant Permeſſus et Melas fluuii, quorum poſterior referente Strabone (IX. 407) terrae motu deletus eſt. Situm hunc amoenum ſatis innuit Homerus, vrbem ſiue potius omnem eius agrum ποιηεντα appellans. Clarius ille perſpicitur e Statiana huius epitheti periphraſi Thebaid. l. VII. 274. 275.: *Quorumque nouit Haliartus ariſtis Inuidet et nimia ſata laeta ſuperuenit herba.* Haliarto in bello contra Perſeum geſto euerſa a Romanis, horum permiſſu agrum Athenienſes poſſederunt.

Thiſbe, Θισβη, dicta Homero πολυτρηρων, *abundans palumbis*, quod Statius Thebaid. VII. tranſtulit: *Dionaeis auibus circumſona Thiſbe*; Venus autem, quae ibi colebatur Διωνη appellata. Strabo tamen epitheti originem inde deducit, quoniam Thisbe habebat: ἐπινειον πετρωδες περιςερων μεςον, *nauale ſaxoſum columbis refertum.* Dicta eſt a Thiſbe, nympha indigena. Pauſan. l. IX. p. 306.

Plataea, Πλαταια, quae poſt Plataeae, ſita erat inter Cithaeronem et Thebas. Prope Plataeam inſequuta aetate Mardonius, qui trecenta Perſarum millia ducebat, clade afflictus eſt a Lacedaemoniis. Apollodorus fragm. p. 1120. vrbis nomen deducit ἀπο της πλατης της κωπης; a Platea Aſopi filia Pauſanias IX. 282.

Gliſſas, Γλισσας, pagus perhibetur in Hypato monte prope Teumeſſum et Cadmeam, Thebarum acropolin. Sunt, qui Γλισσαν τ' ſcribant; ſcribendum ſane Γλισσαντ'. Ruinas vrbis vidit adhuc Pauſanias VII. ſtadiis a Teumeſſo ad ſiniſtram remotas. Pauſan. l. IX. p. 296.

Oncheſtus, Ὀγχηςος, haud procul a Copaide lacu. Antiquiſſima aetate erat fanum Neptuni, id quod ex ipſo Homero cognoſcitur. Subinde tamen circa hoc delubrum habitacula ponebant, quae non ita multo poſt pagum conſtituebant *h*). Oncheſti rudera ſe vidiſſe teſtatur Pauſanias lib. IX. p. 301.

Arna,

h) *Oncheſtum* poeta appellat etiam in Catalogo Nauium ἀγλαον ἀλσος. Ἀλσος eſt lucus. Cum autem delubra, diis ſacra, in mediis lucis

ex-

Arna, Ἄρνη, *πολυστάφυλος*, *vuis abundans*, Homero dicta, insequuta aetate a Copaide lacu abſorpta eſt, referente Strabone l. I. p. 55. Non diuerſa eſſe videtur a Chaeronea. Pauſ. lib. IX. p. 314. Fuerunt tamen, qui Arnam et Acraephium vnum eundemque locum dicerent. Neutra ſententia, quaecunque demum vera ſit, eorum efflagitat amplecti opinionem, qui vulgarem lectionem Ἄρνην mutantes, Τάρνην legi iubent. Cauſſam praeterea ad ſtabiliendam ſententiam hancce afferunt nullam. Accedit, quod Tarnae Boeotiae oppidi pagiue, quantum ſcio, ne veſtigium quidem in vllo veterum ſcriptorum exſtat *Tarna* nomen erat loci in Lydia, ipſi Homero Il. ε. 44. memorati. Ceterum cauendum eſt ſedulo, ne Arnam Boeotiae confundas cum Arna Theſſaliae, in quam illius ciues colonias deduxiſſe teſtatum legimus. Omiſſa eſt a D'Anvillio in tab. Graeciae.

Midea Μιδεια, a lacu Copaide abſorpta perhibetur a Strabone aliisque. Quod ſi eſt, eadem, quae Lebadea, eſſe nequit, quippe quae ab illo lacu remotiſſima eſt. Deſideratur in tabula Graeciae D'Anuill.

Niſa, Νισα, vel Νισσα, niſi ita forte metri cauſſa Vates dixit. Eo nomine multae antiquitus vrbes appellatae ſunt. Caue autem, ne temere eas inter ſe confundas. Alia eſt Nyſſa, Thraciae vrbs, vnde Bacchus Nyſſaeus, alia Nyſſa Indiae, alia Arabiae. Aliae ſunt Niſae, locus Euboeicus apud Stephanum, alia Niſa ſeu Niſaea, Megaridis vrbs, e qua in Boeotiam colonia deducta eſt. Et haec ea eſt, quam commemorat Homerus *i*); Strabonis tamen aeuo non amplius aderat. Nobiliſſimum fuiſſe in hac

exſtruerentur, factum eſt, vt ἄλσος interdum ipſum delubrum ſignificaret, id quod et ex noſtro loco apparet. Ἀγλαὸν autem ἄλσος eſt fanum pulchrum et ſuperbum. Mos delubra aedificandi in mediis, iisdemque denſis lucis, obtinuit, ne, qui pietatis exercitii ergo in eiusmodi locum concedebant, nimio ſolis calore turbarentur.

i) Mutilum eſt apud Strabonem eius nomen, qui hanc in Boeotiam coloniam deduxit.

hac vrbe Bacchi templum Euſtathius refert ad h. l. p. 549. Certe Nyſſam Thracicam et Boeoticam inter ſe permiſcuit *k*).

Anthedon, Ἀνθηδών In florida regione ſita erat, vnde et nomen accepit. Condiderunt hanc vrbem Thraces, ideoque eam Lycophron appellat *Thraciam*. Vocatur ab Homero ἐσχατόωσα, *vltima*, quo epitheto ſitum Anthedonis reſpicit; ſita enim erat in Boeotiae finibus. Perhibetur natale ſolum Glauci, dei marini, quem in cetum fuiſſe transmutatum fama vulgauit. Nomen deductum vel ab Anthedone Nympha, vel ab Anthana, Neptuni filio ex Alcyone, Atlantis filia. Pauſan. l. IX. p. 298.

Hactenus de Boeotiae locis, Homero in Catalogo Nauium memoratis. Praeter ea nullius alius huius regionis loci nec in Iliade nec in Odyſſea meminit, ſi ab Alalcomenis receſſeris, quas aperte ſatis Il. δ. 8. innuit *l*). Falſo ſcriptum legitur apud Strabonem l. IX. p. 472. Ἀλαλκομένιος, recte vero p. 475. Ἀλαλκομεναί. Conditas eſſe ferunt Alalcomenas ab heroe indigena Alalcomeneo, qui et ipſe Mineruae templum, ſumma religione ab antiquiſſimis inde temporibus cultum, hoc in oppido condidiſſe dicitur. Vid. et Pauſan. l. IX. p. 308. Quin etiam dicunt, Mineruam natam eſſe Alalcomenis, ſicut Argis Iuno. Il. δ. 8. Hic locus, Alalcomenas dico, licet exiguus et ne munitus quidem eſſet

k) E fragmento Apollodori p. 1112. apparet, nonnullos legiſſe Ἶσον τε ζαθέην, quoniam nulla oſtendebatur Niſa Boeotiae. Coniicit itaque Apollodorus, Homerum Niſae nomine Iſum exprimere. Alii ſcribunt: Κρεῦσαν τε ζαθέην, alii Φηρὰς τε ζαθέας, alii denique Νῦσαν τε ζαθέην, quas tamen lectiones commemorare ſufficiat.

l) Minus probanda videtur eorum ſententia, qui verba Homeri ἀλαλκομενηῒς Ἀθήνη Il. δ. 8. vertunt: *adiutrix volens Minerua*. Rectius ex priori loci laudati membro, in quo Iuno Argiua appellatur ab Argis, vrbe ſua natali, colligitur, epitheton, Mineruae additum, et ipſum ab vrbe Alalcomenis eſſe deſumptum; Mineruam enim ibi natam eſſe perhibent.

esset, numquam tamen hostium expertus est seueritatem. Memoriae enim proditum est, Thebanos, vrbe sua ab Epigonis expulsos eo confugisse, ibique tutos fuisse ab hostibus, iniuriae, septem ducibus, quos vocant, illatae vindictam expetentibus. Tanta fuit hostium erga Mineruae fanum religio.

§. LI.

C. ORCHOMENVS.

Il. β. 511-516. Strabo lib. IX. p. 476-478. Eustath. p. 552-557.

Tempore belli troiani Orchomenus ab omni reliqua Boeotia seiuncta erat. Regnum erat exiguum, ad quod praeter Orchomenum vrbem et finitimam huic regionem, oppida Aspledon et Phlegya et alia quaedam exigua loca pertinebant. Imperabant Orchomeno Minyae, familia antiquitate generis et fama vigens. Etenim a Minyis originem trahunt Argonautae; nam a Minyis ex Orchomeno in Iolcum coloniam deductam ferunt *a*).

Orchomenus, Ὀρχομενός. Vrbem hanc ipse Homerus Μινύειον appellat Il. β. 511. Od. λ. 283. ne quis temere eam confundat cum Orchomeno Arcadiae (§. XXXIX.) aut cum Orchomeno, Thessaliae oppido, id quod Plinium H. N. l. IV. cap. 8. fecisse video. Semel Orchomenus nostra occurrit nullo adiecto epitheto. Od. λ. 458. Erat supra lacum Copaidem in Locrorum confinio. Ceterum Orchomenii diuitiis opibusque floruerunt ac valuerunt. Illud etiam Homerus Il. ι. 381. declarat, hoc vero non idem solum innuit Od. λ. 282. 283. Amphionem, Iasi filium in Orchomeno Minyeo fortiter imperasse affirmans, sed historia etiam testatur; Thebanos enim Minyis tributum tulisse scimus.

Asple-

a) Plura de Minyarum regno congessit Strabo l. c. cui adde Pausaniam lib. VIII. p. 247. l. IX. p. 303. seqq.

Afpledon, Ἀσπληδων, Il. β. 511. quae et *Spledon* vocatur, (Apollod. fragm. p. 1124.) ab Afpledone Neptuni filio dicta eft. Abeft Straboni XX. ftadiis ab Orchomeno.

Phlegyam vrbem fignificat Homerus ciuium eius mentionem Il. ν. 302. iniiciens. De Gyrtoniis Theffaliae non erit nobis cogitandum, quamquam eos a Phlegya, Ixionis fratre, Phlegyas fuiffe dictos compertum habemus. Phlegyam noftram condidit Phlegyas, Orchomeni rex, in amoena valle prope Cephiffidem (Copaidem) lacum. Hymn. in Apoll. 278-280. Ciues appellat Homerus μεγαλητορας, *magnanimos*, quoniam praedationibus finitimorum et ipfius demum templi Delphici, infamiam nominis fui contraxere. Paufan. l. IX. p. 310.

§. LII.
D. PHOCIS.

Il. β. 517-526. Strabo lib. IX. p. 478-486. Euftath. p. 557-568.

REGIONIS ET INCOLARVM NOMINA; FLVVIVS; MONS.

Orchomeni regno et Boeotiae adiacet Phocenfium, Φωκηων, regio. Phocis ea dicitur a Phoco Ornytionis filio, homine Corinthio, et Phoco, filio Aeaci. Imperabant autem tum temporis Phocidi, iis faltem Phocidis regionibus, quas Homerus fignificat, Schedius et Epiftrophus, filii Iphiti. Il. β. 517. feqq.

Cephiffus, Κηφισσος, fluuius, de quo conf. Ernefti ad Il. β. 522. Oritur prope Lilaeam, in Theffaliae finibus, aquam vero in Copaidem lacum immittit, totam Phocidem, referente Strabone l. c. σκολιως και δρακοντοειδως, *oblique et anguis inftar peruagatus.* *Fontes Cephiffi* a) ipfe Homerus in Catalogo Nauium memo-

a) Euftathius ad Il. β. 523. p. 566. Polit. haec habet: ἐστι δε και ἀλλος Κηφισσος, δια Φωκεων ῥεων, φασι, και ἐμβαλλων εἰς τον Κορινθιακον

memorat. Conf. §. XLIX. L. De iis, quos Homerus παρ ποταμον Κηφισσον, *ad fluuium Cephissum*, habitare dicit, §. LIII. exponam.

Parnassus, Παρνασσος, notissimus et celeberrimus Phocidis mons. Appellat eum Vates αἰπυ ὀρος, *altum montem*, eiusque πτυχας nominat ἠνεμοεσσας, quibus praesertim Catoptorium, Parnassi praecipitium, respicere mihi videtur. Od. τ. 431. 432. Densam quoque istam in Parnasso syluam describit Od. τ. 439. seqq. in qua aper quondam Vlyssi, puero adhuc, exitium minitabatur.

§. LIII.

VRBES; OPPIDA.

Python, Πυθων, Il. β. 519. seu *Pytho*, Πυθω, οῦς, Il. ι. 405. Od. θ. 80. λ. 580. *a*) *Python* et *Pytho* antiquissima erant Delphorum vrbis nomina, Apollinis Pythii fano et oraculo celeberrimae. Sita erat Python in medio saxo, quare etiam Vates Il. β. 519. πετρηεσσαν, *petrosam*, eam appellat. Fumo, caput obtundente, qui e cauerna quadam Parnassi montis erumpebat, commoti sunt finitimi, vt ibi oraculum instituerent, quod, licet aliquando post fumus ille non amplius emitteretur, seros in annos durauit, eiusque consilium expetentibus responsa dedit *b*). Oraculum hocce, religiosissime cultum, vltimae fuisse antiquitatis, ex ipso Homero liquido apparet, qui Agamemnonem responsum inde tulisse Od. θ. 79. seqq. diserte pronunciat. Praeter Amphictyonum consilium, quod Delphis agebatur, (Pausan l. VII. p. 231,) et campum illum patentem et porrectum, inter Pythona et Crissam, ludis Pythicis celebratum, diuitiae in primis comme-

κον κολπον. Errasse Eustathium dubitabile non est. Conf. Politi animadv. ad. laud. loc.

a) Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 44. 45.

b) Plura de origine oraculi Delphici occurrunt apud Strabon l. c. et Diodor. l. XVI. 24. 26. seqq. 56. seqq. 60. seqq. item apud Pausaniam.

memorandae ſunt, quibus templum Delphicum abundaſſe conſtat. Il. ι. 404. 405. A Phlegyis direptae demum ſunt diuitiae. Pauſ. l. IX. p. 310. (§. LI.)

Cypariſſus, Κυπαρισσος, oppidum maritimum, ob naſturtium notiſſimum. Dicta eſt Cypariſſus vel a Cupreſſorum copia, vel a Cypariſſe, Minyae filio, et Orchomeni fratre, quem eius conditorem fuiſſe dicunt. Poſtea *Anticyra* appellabatur. V. Pauſ. l. X. p. 354. Occurrit apud Stephanum Apollonia vrbs, quam nonnulli eandem eſſe contendunt cum Cypariſſo *c*).

Criſſa, Κρισσα, vrbs antiqua, quae Criſſaeo ſinui nomen impoſuit. Notum eſt bellum Criſſaeum, Straboni quoque memoratum, cuius tempeſtate Eurylochus Theſſalus vrbem hancce deleuit. Criſſam Homerus appellat ζαθεην, *eximiam*, *diuinam*, quod epitheton h. l. cum Euſtathio p. 557. vrgendum eſſe videtur ob nobiliſſimum, quod Criſſae fuit, Cereris templum. Poſtea appellabatur *Cirrha*, ſi fides habenda eſt Pauſaniae l. X. p. 355. Etenim Strabo l. c. et Plinius IV. 3. Criſſam iudicant a Cirrha diuerſam, diuerſo loco ſitam, et diuerſo tempore deletam. Criſſam ſub iugo Parnaſſi ſitam fuiſſe teſtatur auctor Hymni in Apoll. 269.

Daulis, Δαυλις, quae δασεια και συμφυτος Euſtathio dicitur, id quod et Strabo innuit, et ipſius vrbis nomen declarat. Huc pertinent et Liuii verba l. XXXII. cap. 18. *Daulis quia in tumulo excelſo ſita eſt, nec ſcalis nec operibus capi poterat.* Alii Daulidis nomen deducunt a Daulide Nympha, Cephiſſi filia. Pauſ. l. X. p. 319. Sedes quondam erat Thraciae regum, quos eousque fines imperii ſui protuliſſe conſtat. Poſtea *Daulia* vocabatur.

Panopeus, Πανοπευς, qui κλειτος, inclytus, Il. ρ. 307. et καλλιχορος, Od. λ. 580. *d*) appellatur, poſtea Phanoteus dictus, referente

c) Vid. Euſtathius ad h. l. p. 560. Conf. Volborthii V. Cl. Bibl. p. 342.

d) Vocem hanc explicat Pauſanias. Conf. Erneſti ad Od. λ. 580. et Il. β. 498.

rente Strabone. Abeſt haud longe a Lebadia, Phocidis vrbe. Eo vulgo Tityum referunt, qui vim Latonae inferre animum induxerat; at Homerus Tityum in Euboea collocat. Od. η 322. ſeqq. Ambitum priſci Panopei ſeptem fere ſtadia fuiſſe diſcimus e Pauſania l. X. p. 319.

Anemoria, Ἀνεμωρία. Nomen inde ſortita eſt, quoniam, qui eam inhabitabant, venti impetum, a Catoptorio, Parnaſſi praecipitio, perpetuo ruentem experiebantur. Sita enim erat in edito loco prope Parnaſſum. Hyantes, Boeotia expulſi, eo confugerunt, quo factum eſt, vt Anemoria quoque *Hyampolis* appellata ſit. Diuerſa tamen eſt ab Hyampoli, Homero in Catalogo Nauium memorata.

Hyampolis, Ὑάμπολις, prope Parnaſſum in finibus Locrorum Epicnemidiorum.

Lilaea, Λιλαία, ad Cephiſſi fontes ſita, ipſo teſte Homero. De ipſo oppido plura congeſſit Pauſanias l. X. p. 351.

Reſtat, vt de loco Il. β. 522. exponam. Verba ſic habent: οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισσὸν δῖον ἔναιον, *qui ad flumen Cephiſſum habitabant.* Qui quidem locus, ſi quid iudico, ita debet explicari, vt Homerus innuere dicatur eos, qui vicatim Cephiſſum fluuium accolebant, vt nomen prodit. Hi Ἐπικηφίσσιοι et Παραποτάμιοι appellabantur. Recedit ab hac interpretatione Strabo, qui Παραποταμίους vicum (κατοικίαν) eſſe dicit prope Cephiſſum flumen, haud procul a Phanotea, Chaeronea et Elatea, Phocidis locis, diſſitum. Prouocat ad Theopompum, qui hunc locum a Chaeronea XL fere ſtadiis abeſſe, ibique fines eſſe Amphryſenſium, Panopenſium et Daulienſium dicit. Situm porro eſſe in colle, mediocriter ſublimi, in finibus Boeotiae verſus Phocidem.

§. LIV.

§. LIV.

Il. β 531-534. Strabo lib. IX. p. 478-480. Euſtath. p. 568-577.

LOCRORVM DIVISIO.

Locri variis cenſebantur cognominibus ad totidem tribus referendis. Memorantur enim veteribus primum *Locri Opuntii*, ab Opunte, primaria illorum vrbe (§. LVI.) ſic dicti, tum Epicnemidii, quibus a Cnemide monte, quem potiſſimum accolebant, nomen eſt impoſitum; deinde *Ozolae*, ſiue occidentales, vtpote qui occiduum Parnaſſi latus tenebant. Illi e contrario cum haud exiguam Parnaſſi montis partem, orienti propiorem, tenebant, eos haud forſan immerito Locros orientales dixeris. Denique memorantur *Locri Epizephyrii*, eam magnae Graeciae oram maritimam incolentes, quae eſt prope Zephyrium promontorium, vt ipſum nomen prodit. Quorum quidem Locrorum priores Homerus commemorat, varias eorum vrbes atque oppida nominans, poſteriores autem ſilentio transmittit, niſi quod, Opuntios et Epicnemidios *e regione Euboeae a)* habitare pronuncians, Il. β. 535. ſatis declarat, eſſe adhuc alios Locros, alias regiones inhabitantes. De Locrorum pugnandi more Il. ν. 712. nonnulla occurrunt.

§. LV.

a) πέρην ἱερῆς Εὐβοίης habent verba graeci textus, quorum ſenſum recte a me conſtitutum eſſe puto. Vtor hac occaſione, ad indicandam ſententiam a b. Wood l. c. p 33. verſion. germ. propoſitam. Collegit b. Auctor loca quaedam homerica, vt ex ipſius poetae ſcriptis probaret, eum in his patriam ſuam indicaſſe. Inter haec loca et Il. β. 535. locum eundem, de quo nunc nobis ſermo eſt, retulit. Voculam πέρην vertit: *trans*, *vltra*. Quo poſito, ex hoc loco probare tentat, Homerum ex Aſiae minoris maritima ora, maximeque Ioniae, regionum, vrbium, cet. ſitum conſtituiſſe, hincque colligit, ipſum poetam aperte ſatis ſignificaſſe, ſe Ionia oriundum. Quod tamen argumentum neutiquam eſſe probandum, iam olim monuit Ill. Heyne in Goetting. Anzeigen 1770. Stück 32.

§. LV.

FLVVIVS.

Boagrius, Βοαγριος, flumen in regione Epicnemidiorum. Il. β. 533. Praeterea in Homeri carminibus non occurrit.

§. LVI.

VRBES; OPPIDA,

et quidem 1. *Locrorum Opuntiorum.*

Opus, Ὀπους, (contracta forma ex Ὀποεις, Opoes, id quod ex ipso Homero Il. β. 531 apparet) primaria Locrorum Opuntiorum vrbs, ab Opunte, quem ibi regnasse perhibent, appellata. Distat a mari XV. stadiis. Portum habet Cynum, a quo LX. stadiis (mille passuum, secundum Liuium l. XXVIII. cap. 6.) abest. Vtrumque locum Abantes quodam tenuisse, discimus e Pausania l. X. p. 316. Memoratur antiquis scriptoribus felix inter vrbem portumque planities. Opuntem ipsam tradit poeta natale solum Patrocli, Achillis sodalis, quem, paruulum adhuc, caedes imprudenter perpetrata, fugam moliri coegit. Il. ψ. 85. seqq. Adde Pindari Olymp. Od IX. quae fere tota in Opuntis laudem confecta est, et antiquissima huius vrbis fata comprehendit; et Ouid. epist. ex Ponto l. 3, 73. De Patroclo eiusque fatis plura refert Homerus Iliad. Σ. et Ψ.

Cynus, Κυνος, nauale Opuntiorum, cui Cynus, Opuntis filius, nomen imposuit. Deucalionem et Pyrrham (cuius monumentum adhuc Strabonis aetate habuit) hic habitasse, scriptores fide digniores, Apollodorus *a*) Strabo aliique contendunt.

a) Vide Apollodori fragmenta p. 1039. 1137. 1138. edit. Heyn. Alii Deucalionem ipsam Opuntem vrbem incoluisse statuunt. Qua in re certi aliquid constituere mihi non arrogo.

2.

2. *Locrorum Epicnemidiorum b*).

Thronium, Θρονιον, prope Boagrium fluuium, vt indicat ipſe Homerus in Catalogo. Prima erat Locrorum Epicnemidiorum vrbs, diuerſa a Thronio vrbe, quam Locri, Boagrii fluuii accolae, cum ab Ilio rediiſſent, ad Ceraunios montes Abantum auxilio condiderunt. Pauſan. l. V. p. 171. Prope Thronium Thermopylae erant, quarum deſcriptionem dat Liuius l. XXXVI. cap. 15.

Calliarus, Καλλιαρος, antiquis ſcriptoribus non admodum memorata, Strabonis aeuo habitari deſiit. Situs Calliari dubius eſt; finitima tamen fuit Beſſo campo *c*).

Beſſa, Βησση, planities, habitaculis frequentata. Syluoſam fuiſſe regionem finitimam nomen declarat *d*).

Scarphe, Σκαρφη, ſub ipſius Oetae radicibus in colle ſita, nec amplius X ſtadiis a mari erat diſſita, a Thronio XXX ſtadiis *e*).

Augiae, Ἀυγειαι, Homero ἐρατειναι dictae. Sitae igitur erant in amoena regione.

Tarphe, Ταρφη, ſic a ſitu nominata; Syluoſa enim erat. Vid. not. e).

b) De ſitu quorundam eorum, qui ſequuntur, locorum, quidquam me legiſſe non memini. Cum vero in locorum recenſione a iuſto ordine ſaepiſſime non recedat Homerus, ea loca, quae poſt Calliarum (hanc Epicnemidiorum oppidum fuiſſe conſtat) commemorat, in Epicnemidiorum regione ſita fuiſſe videntur.

c) Καλλιαρος, inquit Strabo, *ουκετι οικειται, ἑξης δε Βησσα πεδιον*, *Calliarus habitari deſiit: deinceps eſt Beſſa campus.*

d) Qua de cauſa cum Apollodoro, fragm. p. 1135. Strabone aliisque Βησσα, non, vt quosdam feciſſe video, Βησα, legendum eſt. Βησσαι enim Graecis *οἱ βασιμοι τοποι των ὀρεων*, *peruia montium loca*, dicuntur.

e) De ea haec habet Strabo: *χωραν δ' ευκαρπον και ευδενδρον ἐχει*, quae verba Euſtathius ad Tarphen refert.

 §. LXVII.

§. LVII.

F. AETOLIA.

Il. β. 638 - 644. Strabo lib. X. p. 514. ſeqq. Euſtath. pag. 662 - 666.

NOMEN; DIVISIO; INCOLAE: CVRETES ET AETOLI; AETOLIAE FLVVIVS.

Aetoliae nomen in Homeri ſcriptis non occurrit; *Pleuron* autem et *Calydon*, vrbes Aetoliae, Homero Il. ν. 217. 218. ξ. 116. pro Aetolia tota dictae *a*). Aetoliam antiquiſſimis temporibus Curetes tenuerunt, quos tamen iam ante bellum troianum ſedibus ſuis pulſos fuiſſe inde apparet, quoniam Homerus regionis incolas non Curetum, ſed Aetolorum nomine vocat. Il. β. 638. 643. ι. 525. ο. 282. ψ. 633. Aetoliae enim et Aetolorum nomina regioni eiusque incolis impoſita ſunt ab Aetolo, Endymionis filio, qui ex Elide in Aetoliam fugerat, eaque, Curetibus pulſis, potitus erat. Vid. Apollod. l. I. cap. 7. §. 6. Pauſan. l. V. p. 148. Non tamen omnes ſtatim Curetes Aetolus cum ſociis fugauit; Homero enim memorantur adhuc in Aetolia Curetes cum Aetolis dimicantes *b*). Ceterum Aetolis imperabat belli troiani tempore Thoas, Andraemonis filius. Il. β. 638. — De fluuio *Acheloio*, vid. §. LX.

§. LVIII.

a) Quod vt eo clarius appareat, Strabonis locum, qui lib. X. p 525. exſtat, transſcribam. Verba ſic habent: ὁταν δε φῃ την Καλυδωνα αἰπειαν τε (Il. ν. 217. ξ. 116. at noſtri libri habent αἰπεινῃ) και πετρηεσσαν (Il. β. 640.) ἀπο της χωρας δεκτεον. εἰρηται γαρ (Geograph. lib. X. p. 514.) ὁτι την χωραν διχα διελοντες, την μεν ὀρεινην και ἐπικτητον τῃ Καλυδωνι προσενειμαν, την δε πεδιαδα τῃ Πλευρωνι, *iam cum Calydonem ſaxoſam dicit et ſublimem, id de regione intelligendum eſt. Monuimus enim ditione Aetolica in duas partes diuiſa, montanam et epicteton, h. e. adquiſitam, Calydoni fuiſſe aſſignatam, campeſtrem Pleuroni.*

b) Il. ι. 525. ſeqq. ξ. 115 - 117. Oeneum enim cuius meminit poeta his locis, a Curetibus oriundum conſtat. Conf. Strabo l. X. p. 527.

§. LVIII.

VRBES.

Calydon, Καλυδων, cuius poeta et Il. ι. 526. meminit, Aeolis olim dicta eſt. Igne delerunt Calydona, μεγα αϛυ, Curetes. Il. ι. 585. Strabo vrbem noſtram ponit in mediterranea Aetoliae regione et Plinius h. n. l. IV. cap. 2. eandem ſeptem millium quingentorum paſſuum a mari prope Euenum fluuium ſitam eſſe affirmat. Quae de apro Calydonio narrantur, neminem fugiunt. Il. ι. 529. ſeqq.

Pleuron, Πλευρων, Curetum ſedes, vrbs antiquiſſima, nec minus, ac Calydon, quondam celebris, humili poſtmodum erat conditione. Apud Strabonem duplex occurrit Pleuron, αρχαια, et νεωτερα, *vetus et recentior*, quarum illa eaque homerica prope montem Aracynthum ſita fuit.

Chalcis, Χαλκις, αγχιαλος, *litoralis*, Homero dicta. Sita enim fuit ad Acheloum flumen. Apollod. fragm. p. 1114.

Pylene. Πυληνη. Ea, Strabone teſte, diruta, poſtea autem paulliſper eſt translata, (antiquitus enim adiacebat ſinui Corinthiaco) et *Proſchium*, Προσχιον, appellari coepit.

Olenus, Ὠλενος, inter Pleuronem et Calydona media, ab Aeolibus deleta. Ruinas eius quasdam ſub Aracyntho monte ſe vidiſſe teſtatur Strabo l. X. p. 525.

---

§. LIX.

§. LIX.

G. ACARNANIA.

1. *Regiones in continente, et insulae prope Acarnaniam, quae suberant Vlyssi.* Il. β. 631-637.

α. TERRA CONTINENS S. ORA ACARNANIAE MARITIMA, CVI IMPERABAT VLYSSES. ACCEDVNT RELIQVA DE ACARNANIA IN VNIVERSVM COMMEMORANDA.

Acarnaniam Homerus notat Continentis nomine, quam Il. β. 635. in regionum illarum recensione commemorat, quae suberant Vlyssi. Dubium tamen non est, quin ii, qui insulas, Acarnaniae directo oppositas, Cephalleniam dico, Ithacam cet. incolebant, huic Graeciae parti Ἠπείρου h. e. Continentis nomen imposuerint. Sic, qui Scheriam (Corcyram) tenebant, aliam continentis partem Ἤπειρον dicebant, quod nomen multis seculis post obtinuit. At vero, cum quidam scriptores a) nos doceant, Alcmaeonem, Amphiarai filium, Troia capta, Acarnaniam occupasse, eique a filio suo Acarnane nomen imposuisse, incolas item, qui Curetes dicebantur, Acarnanes appellasse: non possum, quin credam, eos tantum, qui Leucadiam, tum temporis peninsulam, et reliquam Acarnaniae maritimam oram inhabitabant, Vlyssis potestati fuisse subiectos. Licet autem Homerus nec oram Acarnaniae maritimam, nec omnem reliquam eius partem diserte nominet, hanc tamen aperte satis innuit Od. λ. 121. seqq., quo loco maximam Acarnaniae partem eamque a mari remotiorem intelligere, orationis series arguit. Vid. Pausan. l. I. p. 11. Etenim, quae de huiusce regionis incolis affirmat Tiresiae vmbra, eos non mare accolere, nec rei nauticae esse peritos, quin etiam ne naues quidem et salis vsum cognitum habere, in eos, qui Vlyssi parebant, neutiquam cadit. Male igitur Ephorus apud Strabonem l. X. p. 526. Acarnanes non inter-

a) Apollod. Lib. III. cap. 7. §. 7. Strabo lib. X. p. 526. Pausan. lib. VIII. p. 255.

interfuisse expeditioni troianae contendit simpliciter. Quod reliquum est, Homerus ἀκτὴν Ἠπείροιο, *litus Continentis*, Od. ω. 377. commemorans, quo nomine proxime quidem Leucadiam significat, eo simul, me quidem iudice, omnem Acarnaniae maritimam oram, Vlyssi subiectam, denotat.

Ex hactenus dictis consequens facile est, Acarnaniae, et Acarnanum nomina apud Homerum non occurrere. Omnes, quotquot Vlyssis imperio suberant, poeta communi nomine *Cephallenes*, Κεφαλλῆνας, Κεφαλλήνων δῆμον, Il. β. 631. Od. υ. 210. ω. 377. appellat. Praeterea ex Il. ι. 525. seqq. apparet, Curetes (Barbaros e Pelasgis) Acarnaniam quondam inhabitasse. At vero, vtrum Curetes Acarnaniam sedem rebus suis vltro delegerint, an Aetolia, ab Aetolis pulsi, eo sese contulerint, in medio relinquo. Hoc certe constat ex laudato Homeri loco, Curetes et Aetolos sibi inuicem perpetuum, vt ita dicam, bellum intulisse, ideoque eos Aetolia quondam pulsos esse, vero mihi videtur similius. Conf. §. LVII. Ceterum, vt hoc moneam obiter, ex Curetum nomine recte colligitur, Acarnaniam quondam Curetidem fuisse appellatam, quo eam nomine Plinius vocat H. N. lib. IV. cap. 2.

Lacedaemonios quosdam Acarnaniae partem olim tenuisse, ex Od. β. 55. ο. 16. colligi nequit. Conf. Strabo l. X. p. 526.

§. LX.

AETOLIAE FLVMEN ET VRBS. Κροκύλεια, Αἰγίλιψ.

Acheloius, Ἀχελώϊος. Il. Φ. 194. Appellatur ab Homero κρείων, *rex*, ea forte de caussa, quoniam et maximus erat et celeberrimus fluuiorum cognominum. Per Acarnanes et Aetolos decurrit in mare prope Echinades *a*).

Neri-

a) Vid. Pausan. lib. VIII. p. 269. Conf. §. LVII.

Nericum, Νηρικον. Praeter hanc nulla alia Acarnaniae vrbs, aliusue locus ab Homero commemoratus est. Vrbem vero hancce, quam primam olim totius Acarnaniae fuisse, alii scriptores nos docent, ipse Homerus sitam esse declarat in peninsula illa, quam ille ’ακτην ’Ηπειροιο appellat. (§. LIX.) Erat teste Homero, ἐϋκτιμενον πτολιεθρον, *vrbs bene aedificata*, et a Laerte quondam capta; Od. ω. 376. 377. quo ipso tempore, vti coniicio, omnis Acarnaniae maritima ora Laerti parere coepit.

Κρουνλεια et Αἰγιλιψ. Il. β. 633. Vid. §. LXVII.

§. LXI.

β. INSVLAE PROPE ACARNANIAM, VLYSSI SVBIECTAE.

Sequitur, vt de insulis prope Acarnaniam sitis exponam. Cui tamen descriptioni, ne semel dicta saepius repetere necesse habeam, tribus verbis ea praemittere consultius duco, quae de situ plerarumque harum insularum disertis verbis ab Homero commemorata sunt. Dicuntur autem prope sitae *Samus* (Cephallenia. §. LXII.), *Ithaca a*), media inter has *Asteris*, *Dulichium* et *Zacynthus*. Od. ι. 21 - 24. coll. δ. 845. 846. Harum omnium et continenti et septentrioni proximam tradit Ithacam, quo ipso reliquas magis ad meridiem spectare affirmat *b*). Omnibus his, adeoque Asteri, Vlysses imperabat, Il. β. 629. seqq. Quamquam enim Asteridis in recensione copiarum non meminit Vates, eam tamen ad Vlyssis imperium pertinuisse, neminem negaturum credo.

a) Nonnunquam adhuc distinctius dicit, Ithacam et Samum non nisi πορθμον, *fretum*, interesse. Od. δ. 671. ο. 29.

b) Od. ι. 25. 26. conf. Strabo lib. X. p. 519.

§. LXII.

A. SAMVS VEL SAME, QVAE POSTEA CEPHALLENIA; (HODIE CEFALOGNA.)

Insulae Nomina.

Cephalleniam ab Homero *Sami* et *Sames* nomine *a*) (quibus nominibus promiscue *b*) vtitur poeta) significari, satis constat. Locis autem commemoratis (vid. not. a) non vrbem Samen, primam haud dubie ea aetate insulae vrbem, sed ipsam insulam esse intelligendam, inde facile euincitur, quoniam, id quod diserte etiam Od. α. 245. et ι. 21-24. dicitur, insularum, earumque haud longe distantium *c*) recensionem poeta instituit. Epitheton quoque παιπαλοεις *d*), *salebrosus*, Samo seu Samae vrbis notionem subiicere vetat. Cephalleniae nomen, a Cephalo cum Pau-

a) Quae sequuntur Homeri loca de tota insula accipi debent: Il. β 634. Od. α. 246. δ. 671 845. ι. 24. ο. 29. π. 288. π. 123. 249. Eustathius ad Od. α. 246. p. 1414. nescio quibus rationibus adductus, ita scribit: ἡ δε Σαμη νησος ΠΕΡΙ Κεφαλληνιαν, λεγομενη και Σαμος. Vltimum locum, quem laudaui, Apollodorus apud Strabonem l. X. p. 518. de vrbe Samo accipit, id quod mihi probare videtur Strabo, licet idem l. c. pag. 521. eodem loco totam insulam significari tradat.

b) Insulam non nisi Samum, Σαμον, vocatam esse Apollodorus contendit. Vid. not. d.

c) Quod nisi satis appareret, forte aliquis Samum insulam ante Ioniam, aut, (iis saltem in locis, in quibus nostra Samus epitheto παιπαλοεσσα destituta est) Samothraciam intelligere posset, quam et Homerus nonnunquam Samum simpliciter dicit. Vid. §. CXII.

d) Epitheton hocce iam Apollodoro argumento fuit, quo probaret, insulam, non vrbem esse intelligendam. Vid. Strabo l. X. p. 518. et Heynii Celeb. Notae ad Apollod. p. 1113. Apollodorus autem loco: Σαμη τε Od. α. 246. legi iubet Σαμῳ τε, insulam Samen, Σαμην, appellatam esse negans. Vetustissima autem est lectio vulgaris, nec temere mutanda. Adde, quod Strabo diserte tradit, Cephalleniam antiquitus vtroque nomine fuisse nuncupatam.

Pausania deducendum, quod insequuto aeuo solum obtinuit, in Homero non occurrit; et licet Palmerius Graec. Antiq. l. IV. c. 24. ex Od. ω. versum 377. adducat, Ἀκτὴν' Ἠπείροιο Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων, haec tamen lectio nulla, quantum scio, nititur auctoritate. Hoc tamen, me iudice, satis constat, insulam hancce iam Homeri aetate ita nuncupatam esse; insulanos enim speciatim interdum *Cephallenes* appellat Homerus, v. c. Od. ω. 354. 377. quo nomine in Catalogo Nauium omnes eos significat, qui tempore troiani belli Vlyssi suberant. Conf. § LIX. Insulam quoque nostram ab Homero Ἠπείροιο μελαίνης, *Epiri nigri*, nomine Od. ξ. 97. φ. 109. putant significari. Vid. Palmerii Graec. Antiq. lib. IV. c. 24. Quae opinio, quamquam est vetustissima *e*), mihi tamen reiicienda esse videtur. Ἤπειρον μελαινὴν de Acarnania interpretari malim.

§. LXIII.

SAMI CVM ALIIS INSVLIS CONFVSIO.

Fuisse alios, qui dicerent, Dulichium et Cephalleniam seu Samen, vnam esse eandemque insulam, alios autem, qui idem de Tapho et Cephallenia affirmarent, discimus e Strabonis lib. X. p. 520. 521. Vtramque sententiam refutat ipse Homerus, illam quidem Od. π. 247. coll. 249. quibus in locis alios procos e Dulichio, alios e Samo ad Penelopen venisse affirmat; hanc vero Il. β. 634. 636. coll. Od α. 417-419. Ex his enim locis apparet, Samen, i. e. Cephalleniam, insulam Vlyssi paruisse, Mentem vero Taphiis imperasse.

§. LXIV.

VRBES.

Quaestionem illam, vtrum Homerus vrbis Sami mentionem faciat, an eam silentio praetermittat, soluere non audeo. De loco

e) Nam et Plinium in hac opinione errasse scimus, Cephalleniam quoque *Melaenam* appellatam esse dicentem lib. IV. c. 12. Saltem scribere debuisset *Epirum Melaenam* siue *Nigram*.

loco, qui Od. π. 249. exſtat, ſententiam qualemcunque meam in medium protuli §. LXII. not. a). Reſtat praeter hunc non niſi vnicus ille, qui Od. ο. 369. occurrit; quem licet Apollodorus l. c. de vrbe accipiat, ille tamen haud minus congrue de inſula poteſt explicari. Quatuor ciuitates in Cephallenia extitiſſe e Thucydidis libro altero intelligitur, Pallenſes, Cranios, Samaeos, Pronaeos, quas omnes forte innuit Homerus Od. ω. 353. 354. Male Scholiaſtes minor Κροκυλεια et Αἰγιλιπα, Il. β. 633. (§. LXVIII.) Cephalleniae vrbes eſſe contendit.

§. LXV.

B. ASTERIS, QVAE POSTEA ASTERIA.

Aſteris, Ἀςερις, quae poſtmodum Aſteria dicta eſt, inſula Homero dicitur ſaxoſa, parua, inter Ithacam et Samum media. Memorat quoque Vates in ea portus ναυλοχους, *nauibus aptos* et ἀμφιδυμους, *ab vtroque latere introitum habentes* a).

a) Od. δ. 844-847. Huc pertinent, quae apud Strabonem lib. X. p. 521. leguntur Μεταξυ δε inquit, της Ἰθακης και της Κεφαλληνιας ἡ Ἀςερια νησιον, Ἀςερις δ' ὑπο του ποιητου λεγεται. ἡν ὁ μεν Σκηψιος μη μενειν τοιαυτην, οἱαν φησιν ὁ ποιητης

— — λιμενες δ' ἐνι ναυλοχοι αὐτῃ

Ἀμφιδυμοι.

h. e. *inter Ithacam et Cephalleniam inſula parua eſt Aſteria, Homero Aſteris dicta. Hanc Scepſius negat talem nunc eſſe, qualem poeta deſcribit, portibus praeditam in vtramque partem patentibus.* His adde eiusdem auctoris locum lib. 1. p. 56. (p. 59. D. Caſaub.) Βελτιον δε, inquit, αἰτιασθαι μεταβολην ἠ ἀγνοιαν, ἠ καταψευσιν των τοπων κατα το μυθωδες. τουτο μεν δη ἀταφεν ὀν, ἐω ἐν κοινῳ σκοπειν, h. e. *praeſtat autem in his mutationem pro cauſſa accipi, quam ignorationem, aut fabuloſa de locis mendacia poetae adſcribere; verum hoc, vt incertum, in medio relinquo.*

§. LXVI.

C. ITHACA.

INSVLAE ET INSVLANORVM NOMINA.

Insulae eiusque ciuium, (quos semel quoque nimirum Od. α. 90. 'Αχαιων nomine a poeta vocari supra §. XIV. monui) in Odyssea frequens, in Iliade, si bene memini, non nisi duobus locis, β. 637. γ. 201. mentio fit. Eam Vlyssis patriam esse nemo nescit. Dicta est, teste Eustathio, ab Ithaco heroe, cuius mentionem fecit Homerus Od. ρ 207. De Ithaca haec refert Vates noster: insula est parua *a*) Od. ν. 243. εὐδειελος, aprica, seu, ad meridiem sita, Od. β. 167. ι. 21. ν. 212. 325, non equis pascendis apta et bonis destituta pratis *b*), Od. δ. 607. ν. 242; non tamen nimis tristis, h. e. horrida; in ea enim frumenti copia est, adeoque vini; nec aqua destituta est. Od. ν. 243-247. Est tamen simul aspera *c*) et saxosa, Od. ν. 196, capris et bubus pascendis apta. Od. ν. 246. Memorantur quoque Homero Od. ι. 30. ν. 103. seqq. 347. seqq. in Ithaca specus; nullum tamen sua aetate extitisse in Ithaca antrum, quale ab Homero describitur, Strabo auctor est. Quare de hac relatione aut eadem sententia ferenda est, quam Asteridis descriptioni § LXV. ex Strabonis libro I. adieci, aut assentiendum nobis est Eustathio p. 1734. dicenti: ταυτα πεπλασμενα εἰσιν, ὡς φασιν οἱ Παλαιοι, *ea conficta sunt, vti affirmant Veteres*; illud tamen huic praeferendum videtur.

§. LXVIII.

PORTVS; FONTES; MONTES; VRBS.

Duo memorat Homerus *portus*, *Rhethrum*, 'Ρειθρον, sub Neio, Od. α. 186. (Conf. Palmerii Graecia Ant. lib. IV. cap. 23.) et

a) Ergo D'Anuillius insulam hanc in mappa geographica nimis magnam exhibuit,

b) Hoc vt in insulas in vniuersum, sic maxime in Ithacam cadere, poeta Od. δ. 607. affirmat.

c) Κραναη, Od. α 124. 247. φ. 346. τρηχεια, Od. ι. 27. κ. 417. 463. ν. 242. παιπαλοεσσα, Od. λ. 479.

et *Phorcynis portum,* Od. ν. 96. ſeqq. 345. ſeqq. Poſterior, referente Euſtathio p. 1735. ipſe *Phorcynus*, Φορκυν, vocatus eſt.

Plures Ithacae *fontes* Od. ν. 109. commemorantur, at non niſi *Arethuſae*, Ἀρεθουσης, Od. ν. 408. diſerte ſit mentio.

Montes: Neritus, Νηριτος, Il. β. 632. Od. ι. 22. isque ſylvoſus, ν. 351, quem falſo quidam Νηρικον dicunt. Veterum poetarum latinorum nonnulli, v. c. Virgilius Aen. III. 271. et Ouid. Metamorph. XIII. 712, *Neriti* nomine Inſulam ſignificare videntur. Vide tamen, quae monet Ill. Heynius ad Aen. III. 271.

Neius, Νηϊος. Od. α. 186. γ. 81. *a*).

Coracis petra, Κορακος πετρη. Od. ν. 408. (Rabenfelſen.)

Vrbs in Ithaca eiusdem nominis, eaque ſub Neio monte ſita, Od. γ. 81. haud longe a mari ad portum quendam, forte ad Rhethrum, qui erat ſub Neio Od. α. 185. 186. coll. π. 330. 331. Eadem et Od. α. 185. κ. 416. ξ. 372. ρ. 205. χ. 223. intelligi debet. Forte praeter Ithacam vrbem nulla alia in hac inſula eo tempore extitit.

§. LXVIII.

D. Κροκυλεια ET Αἰγιλιψ. Il. β. 633.

Crocylea et *Aegilipa* paruas fuiſſe inſulas, Vlyſſi ſubiectas, veroſimillimum mihi videtur; vtriusque enim nominis in media inſularum recenſione meminiſſe poeta deprehenditur. Quod ſi ita eſt, *Aegilipam* fuiſſe inſulam τρηχειαν *aſperam*, ex laudato Homeri loco videre eſt *a*).

§. LXIX.

a) Legendum ſane Od. γ. 81. ὑπο Νηΐου, non: ὑπονηΐου.

a) Male Scholiorum minorum auctor vtrumque nomen de oppidis Cephalleniae intelligit, §. LXIV, Strabo lib. X. p. 516. 517. et Crocylea,

§. LXIX.

E. ZACYNTHVS, QVAE NVNC ZANTE.

Zacynthus, Ζακυνθος, insula dicitur *nemorosa*, Il. β. 634, Od. α. 246, a Cephallenia LX stadiis distans, paullo magis, quam haec ad occiduas Peloponnesi partes inclinans, referente Strabone l. X. p. 525, qui et fertilem eam fuisse testatur. Appellata est a Zacyntho, Dardani filio, teste Eustathio. Conf. §. XLIV. —

lea et Aegilipam in finibus Acarnaniae, Stephanus in Ἠπειρῳ sitas esse refert. Vtrumque in vna eademque sententia fuisse nullus dubito; Ἠπειρον enim antiquissima aetate Acarnaniam, saltem Acarnaniae oram maritimam significasse, inter omnes constat. Quae de Crocyleis tradit Eustathius p. 650. Polit. non recedunt a Strabonis de hoc nomine sententia. Quae tamen transscribere animus non est. Ea potius subiungam, quae apud Eustathium p. 653. Polit. occurrunt. Ita autem ille: Ὁ δε τα Ἐθνικα ἐπελθων, τετραμερη την Ἰθακην εἰπων, φασιν· ἧς το μεν πρωτον ἐπι μεσημβριαν, και θαλασσαν· το δευτερον, Νηΐον· το τριτον, Κροκυλεια· και ἑξης. ὡστε κατα τουτον τον λογον οὐ νησος μονον, ἀλλα και μερος Ἰθακης, το Κροκυλειον, *qui gentilitia vrbium nomina recensuit, quatuor in partes diuisam Ithacam esse dicit, cuius prima pars sita sit ad meridiem atque ad mare; altera sit Neium, tertia Crocylea, etc. Itaque hac ratione non insula modo, verum etiam pars Ithacae Crocyleum.* Ceterum interpretes, quotquot euolui, Αἰγιλιπα loci (rectius insulae) nomen et τρηχειαν epitheton esse tradunt. Eustathius tamen illam vocem appellatiuum nomen, hanc substantiuum esse praecise affirmat, ita, vt Vlysses non *Aegilipi asperae*, sed *inaccessae Tracheae* imperasse dicendus sit.

§. LXX.

2. *Reliquae insulae prope Acarnaniam, Homero memoratae.*

§. LXX.

A. THOAE, QVAE NVNC OXIAE.

Hactenus de insulis, quibus Vlysses imperabat. Restat nunc, vt de reliquis insulis prope Acarnaniam, quarum mentionem Homerus iniecit, paucissima subiungam. Ex harum numero primo loco mihi nominandae veniunt *Oxiae*, quas ipse poeta ϑοας appellat. Od. ο. 298 De situ harum insularum expressis verbis nihil tradit Homerus; eum tamen poetae probe innotuisse e contextu apparet. Ceterum Echinadum nomine, Il. β. 625. Oxias quoque insulas ab Homero indicari, Strabo contendit lib. VIII. p. 406. sed. lib. X. p. 522. 523. sicuti Plinius, H. N. IV. 12, Oxias ab Echinadibus distinguit. Sitae sunt Θοαι ante Acheloium fluuium, qui per Acarnanes et Aetolos in mare decurrit, Homero Il. φ. 194. memoratum.

§. LXXI.

B. ECHINADES.

Echinades Homerus *insulas* appellat, *αἱ ναιουσι περην ἁλος 'Ηλιδος ἀντα, quae sitae sunt trans mare, Elidis e regione a)*. Il. β. 625. 626. Vnam earum, quae Strabonis aetate Dolicha vocabatur, idem auctor grauissimus (lib. X. p. 522. Adde Eustath. p. 1414.) non diuersam esse contendit a *Dulichio*, cuius Homerus meminit Il. β. 625. et saepissime in Odyssea. Plinio H. N. IV. 12. Dulichium non est vna Echinadum. Insula haecce, quamquam Echi-

a) Sensus hic est: *Echinades Graecis occasum versus sitae sunt.* Ex hoc igitur loco colligi nequit, quod inde effici posse autumat b. Wood l. c. p. 33. 34. Nimirum hunc locum probare putat, Homerum ex Ionia, vt omnium regionum, vrbium cet. sic harum quoque insularum situm constituisse. Haec obseruatio, non mea certe, sed legitur Ill. Heynii in Götting. Anzeigen 1770. St. 32.

Echinades omnes asperas et steriles esse pronunciat Strabo l. c. Homero πολυπυρος, *tritici* siue *frumenti ferax*, Od. ξ. 335. π. 396, et *herbosa* Od. π. 396. dicitur. Appellata est a Dolichio seu Dulichio, Triptolemi filio. Male Dulichium a Fabro in Thesauro Erudit. Schol. Vlyssi paruisse dicitur; male a Buondelmontio apud Palmerium Gr. Ant. lib. IV. c. 23. pro Ithaca habetur; male a Seruio ad Virg eccl. VI. tanquam insula describitur, in qua Ithacus mons et Vlyssis sedes; male denique Didymo ad Od. ξ. 397. et quibusdam aliis Dulichium πολις της Κεφαλληνιας, *vrbs Cephalleniae*, appellatur. Adde hactenus dictis de Dulichio, quod hanc insulam ab Ithaca satis distinguit Homerus Il. β. 632. coll. 625, et quod illa Megeti, Il. β. 625. 627. haec Vlyssi, Il. β. 631. 632. paruit, vt istas quatuor doctissimorum virorum sententias omnino falsas esse planeque reiiciendas ex Homero solo docere possis. Quod reliquum est, incoluisse Echinades Epeos ex Elide huc profectos, discimus ex Il. β. 625. seqq. Conf. Strabo lib. X. p. 521.

§. LXXII.

C. INSVLAE TAPHIAE SEV TELEBOIDES.

Harum insularum non nisi vnam commemorat Homerus, *Taphi*, Ταφου, nomine insignitam, quae postmodum Taphias vocata est. *Taphi* et *Taphiorum* meminit Od. α. 105. 181. 417. 419. ξ. 452. ο. 426. π. 426 Insulanos dicit *nauigandi studiosos*, Od. α. 181. 419; *latrones*, Od. ο. 426, adeoque *plagarios* Od. ο. 426. π. 426. Didymum *a*) errasse video, Taphum vnam Echinadum esse affirmantem; Taphiis enim peculiare regnum tribuitur ab Homero Od. α. 180. 181. Praeterea Taphiae insulae nimis longo interuallo absunt ab Echinadibus.

a) Ταφος, inquit ad Od. α. 105. ἡ νησος των Ἐχιναδων, ἡν κατῳκουν Τηλεβοαι. Nec aliter Scholiastes Apollonii I. 747. ἡ Ταφος νησος ἐςι μια των Ἐχιναδων, ἡν ῴκηταν Τηλεβοαι, οἱ προτεροι την Ἀκαρνανιαν οἰκουντες, *Taphus insula est vna ex Echinadibus, quam Teleboae incoluerunt, qui prius Acarnaniam incoluerant.*

III.

III. THESSALIA.

§. LXXIII.

NOMEN; FINES.

Thessaliam ab Homero πελασγικὸν Ἄργος appellari et antiquissima est et vulgaris interpretum, veterum maxime, sententia. Quam tamen, etsi ea doctissimis poetae nostri interpretibus, Straboni et Eustathio, arrideat, locum omnino habere non posse, ex iis, quae §. XV. XVI. monui, facile intelligitur. Ἄργος loco laudato de Thessaliae vrbe, Argis, accipi debet, quae vrbs Pelasgica dicitur a Pelasgis, prisco eam aeuo tenentibus. Ceterum ad Thessaliam, qualis ea depingitur ab Homero, belli troiani tempestate exigua pertinebat Macedoniae pars, item Locridis, nec non eius, quae est circa Oetam montem, regionis.

§. LXXIV.

THESSALIAE POPVLI ET DIVISIO.

Multos antiquissima aetate Thessaliam tenuisse populos, ex solo Homero videre est. Thessaliae autem populorum, quorum mentionem iniecit poeta, antiquissimi haud dubie habendi sunt *Centauri* Κένταυροι, Od. φ. 303., quos etiam Φηρῶν nomine Il. α. 268. β. 743. exprimi apud omnes in confesso est, et *Lapithae*, Λαπίθαι, Il. μ. 128. 181. Od. φ. 297. Vterque populus ob fortem et intrepidum animum Homero Il. β. 749. μ. 128 laudatus. Illi Peleum montem tenebant, e quo postea a Lapithis, Perithoo duce, pulsi et ad Aethicas vsque profligati sunt; Il. β. 742-744. Lapithae vero habitabant circa Olympum montem et Peneum fluvium *a*). Praeter hos commemorantur ab Homero *Perhaebi*, Περαιβοὶ,

a) Hoc apparet ex situ eorum locorum, quae Lapithas tenere Homerus Il. β. 738. 739. tradit.

ραιβοι, Il. β. 749. *Dolopes*, Δολοπες, Il. ι. 480. *Enienes*, Ἐνιηνες Il. β. 749. *Achiui*, Ἀχαιοι, Il. β. 684. quo nomine Phthiotae ſtrictius ſic dicti, hoc eſt, ii, quibus imperabat Achilles intelligendi ſunt, *Hellenes*, Ἑλληνες, Il. β. 684. qui haud dubie iidem ſunt, qui Theſſaliotidem ſtricte ſic dictam *b*), tenebant, et *Aethices*, Αἰθικες, Il. β. 744 *c*). *Pelaſgos*, Πελασγους, vagos et errabundos in Theſſalia quoque domicilium habuiſſe, ex epitheto, Ἀργει vrbi Il. β. 681. addito, intelligitur. (Conf. §. XV. XVI. LXXIX.) Quin et *Myrmidones*, Μυρμιδονες, Il. β. 684. a Pelaſgis oriundos ſcimus. (§. LXXVII).

Omnis Theſſalia tempore belli troiani in nouem partes, quas ſingulas poſtea recenſebimus, diuiſa erat, id quod ex altero Iliadis libro 681-759. apparet d), Sunt, qui affirment, Theſſaliam ea aetate in decem partes fuiſſe diuiſam. Phoenicem enim, Achillis conſiliarium. Il. ι. 442. 443. Dolopiae principem fuiſſe contendunt, prouocantes ad ea, quae de ſe ipſe profitetur Phoenix Il. ι. 480. Qui vero ſic ſtatuunt, ſecus mihi facere videntur. Enimuero, me iudice, ex eo ipſo loco, quem ad tuendam ſententiam ſuam illi afferunt, luculenter apparet, Peleum Dolopibus non niſi praefeciſſe Phoenicem; nusquam vero Homerus Peleum dicit Phoenici Dolopiam dono dediſſe, eumque principem huius regionis conſtituiſſe. Praeterea Dolopes poeta

I.

b) Theſſaliotidem ſcilicet ſenſu latiſſimo praeter Hellenes tenebant Dolopes et Aenianes, ſeu Enienes.

c)] Aethices ab aliis Theſſaliae adſcripti, ab aliis Macedoniae. Vid. Scholiaſtes ad Il. β. 744.

d) Theſſaliam omnem vulgo diuidunt in IV. partes, Phthiotidem Heſtiaeotidem, Theſſaliotidem et Pelaſgiotidem. Quae diuiſio etſi non ſit ſatis apta, ſeruanda tamen eſt omnino in explicanda Theſſaliae antiquae tabula. Cum autem omnino noua ſit haec Theſſaliae diuiſio, cumque a vulgari, et ab omnibus Geographis recepta, prorſus recedat ea, quam, Homero ducente, exhibere aggredior: hoc viſum eſt mihi faciendum, vt (ne turbae fierent) Geographia omnibus probatam diviſionem per omnia reſpicerem. Falſo Strabo, vt hoc moneam obiter, eas regiones omnes, quibus olim Peleus imperabat, ad Phthiotidem pertinere perſuaſum ſibi habuit.

l. c. extremam (h. e. occidentalem. Vid. Ill. Heyne ad Apollod. p. 805.) Phthiotidis regionem tenuiſſe ſatis declarat; vulgo tamen veteres Dolopiam Theſſaliotidi adſcribere ſolent. Quatenus Dolopes ſuum habuerunt ducem, eatenus Theſſaliam in decem regiones diuiſam fuiſſe affirmare fas eſt, id quod et Straboni (Geogr. lib. IX. p. 492. coll. p. 495. infra.) probatum video.

§. LXXV.

HOMERICA GENERALIS THESSALIAE DIVISIO, COLLATA CVM VVLGARI DIVISIONE.

Omnis Phthiotis, exceptis vrbibus quibusdam maritimis, quae ſubiectae erant Proteſilao, Il. β. 695. ſeqq. omnis et Theſſaliotis, ſi ab ea regione receſſeris, quam Enienes, ſeu Aenianes, tenebant, quippe quae Guneo parebat, Il. β. 749. coll. 748. Achillis ſubiectae erant poteſtati, Il. β. 681-694. ι. 480, (§. LXXIV) Pelaſgiotis, ad quam pertinebat Magneſia, diuiſa erat inter Eumelum, Il. β. 711-715, Philocteten, 716-728, Eurypylum, 734-737, Polypoeten, 738-747, Guneum, 748-755, et Prothoum, 756-759, Heſtiaeotidi imperabant Podalirius et Machaon, Aeſculapii filii, 729-733; dubito tamen, quin horum poteſtati ſubiecta fuerit tota Heſtiaeotis.

§. LXXVI.

A. ACHILLIS DITIO.

Il. β. 681-694. Strabo lib. IX. p. 492 - 496. Euſtath. pag. 681 - 686.

PHTHIA, PHTHII.

Vtrumque nomen, et *Phthia* et *Phthii*, variis modis ab Homero vſurpatum eſt. Nimirum Φθίης nomine et omnem Phthiotidem

tidem, Il. ι. 363. 475. 480. et peculiariter eam Phthiotidis partem, cui imperabat Achilles *a*), Il. α. 155. π. 13, τ. 299. 323. 330, et vrbem Phthiam, Il. β. 683. ι. 253, significat. Praedicat poeta regionis totius frequentiam, eiusque fertilitatem satis innuit, ἐριβωλακα et μητερα μηλων eam appellans. De *Phthiis* vid. §. LXXVIII.

§. LXXVII.

NOMINA EORVM, QVI ACHILLIS POTESTATI SVBERANT.

Eorum, qui Achillis potestati suberant, nomina profitetur Homerus Il. β. 684. Μυρμιδονες δε καλευντο, και Ἑλληνες, και Ἀχαιοι, *Myrmidones appellantur, et Hellenes et Achiui.* Ad illustrandam Myrmidonum nominis originem duo faciunt Strabonis loca, hic, vt fidem exsoluam, (§. XX.) transcribenda *a*). Fusius de *Myrmidonibus* egit Eustathius p. 686-688. Polit. *Hellenes* dicuntur, qui Achilli suberant, ab Hellene, Deucalionis filio, patre vero Xuthi, Dori et Aeoli. Apollod. l. I. cap. 7. §. 3. Horum Xu-

a) Forte tamen hoc discrimen constitui non debet.

a) Priori loco, lib. VIII. p. 430. Μυρμιδονας δε, inquit, κληθηναι φασιν, ουχ ὡς ὁ μυθος, Αἰγινητας, ὁτι λοιμου μεγαλου συμπεσοντος, οἱ μυρμηκες ἀνθρωποι γενοιντο κατ' εὐχην Αἰακου, ἀλλ' ὁτι Μυρμηκων τροπον ὀρυττοντες την γην, ἐπισπειροιεν ἐπι τας πετρας, ὡς τ' ἐχειν γεωργειν, ἐν δε τοις ὀρυγμασιν οἰκειν φειδομενοι πλινθων, h. e. *Myrmidones vero appellantur Aeginetae, non quod velut fabulae iactant, magna oborta peste formicae Aeaco id votis impetrante in hominum naturam sint mutatae, sed quod formicarum in morem terram fodientes in saxa semen coniicerent, vt agriculturam exercere possent, et quod laterum coctorum penuria in fossis habitarent.* Posterior locus, qui lib. IX. p. 495. exstat, ita habet: Μυρμιδονας δ' εἰκος καλεισθαι παντας τους ὑπο τῳ Ἀχιλλει, και τῳ Πατροκλῳ, οἱ συνηκολουθησαν ἐξ Αἰγινης φευγοντι τῳ Πηλει, h. e. *Myrmidones porro vocare consentaneum est omnes, qui sub Achille et Patroclo erant, qui in exilium ex Aegina proficiscentem Peleum erant sequuti.*

Xuthus, relicta Phthiotide, in Atticam profectus est, cuius filius Achaeus postea in patriam reuertit, et Phthiotas a se *Achaeos* appellauit. Quem reuertentem cum bona sequeretur Myrmidonum pars, factum est, vt interdum Phthiotae hoc quoque nomine dicerentur.

§. LXXVIII.

FINES; MONTES; FLVMINA; FONTES.

Saepenumero periculum feci, possimne, solo Homero duce, veros et certos regionis illius, quae Achilli parebat, fines constituere, verbisque exprimere. Cui tamen negotio tot impedimenta obiiciebantur, vt eo abstinere consultius iudicarem. Enimuero, si nihilo secius opus hocce aggrederer, verendum sane esset, ne obscura et imperuia fieret omnis mea oratio. Duo autem potissimum sunt, quibus ad edendum ingenuum imbecillitatis meae indicium adduci me passus sum, alterum, quod eorum locorum, quibus imperabat Achilles, ne praecipua quidem ab Homero commemorata sunt, quae in conterminis aliarum regionum sita erant, alterum, quod Phthiotis inter Achillem et Protesilaum, forte et Philocteten diuisa erat. Nam vt ii, quibus Achilles et Protesilaus imperabant, ita etiam, qui Philoctetae imperio suberant, Phthii ab Homero appellantur, id quod iam doctissimus scriptor, Strabo lib. IX. p. 493. probatum dedit *a*). Strabone autem in auxilium arcessito, multas Achillis vrbes,

a) Non possum, quin et hunc locum, licet longior sit, transscribam: Φθιοι δε καλουνται, inquit Strabo, οἱ τε ὑπ' Ἀχιλλει, και ὑπο Πρωτεσιλαῳ, και Φιλοκτητῃ· ὁ δε ποιητης τουτων μαρτυς. Ἐιπων γαρ ἐν τῳ Καταλογῳ· Οἱ τ' εἶχον Φθιην — — (Il. β. 683.) ἐν τῃ συν ναυσι μαχῃ τουτους μεν ὑπομενοντας ἐν ταις ναυσι πεποιηκε μετα του Ἀχιλλεως, και καθ' ἡσυχιαν ὀντας. τους δε ὑπο Φιλοκτητου μαχομενους, και τους ὑπο Προτεσιλαου προτερον, εἶτα Ποδαρκους μενεπτολεμου. Περι ὧν κοινως μεν οὑτω φησιν

Ἐνθα

vrbes, quae in Homero non occurrunt, recenſente, abunde cognoſcitur, Achillis regionem cingi ad auſtrum Oeta monte, ſeptentrionem verſus Oncheſto fluuio, verſus orientem ora maritima inde ab Oncheſti oſtio vsque ad Epicnemidios Locros, et verſus occaſum Pindo. At non Achillis imperio ſuberant, quicunque intra ſic conſtitutos fines habitabant. Aenianes enim, Perhaeborum ſocii, qui Theſſaliotidis partem tenebant, Guneo paruerunt, Il. β. 748. 749. Praeterea vrbibus oppidisque quibusdam maritimis, in Phthiotide ſitis, Proteſilaum imperaſſe diſcimus ex Il. β. 695. ſeqq. Omnis autem reliqua Theſſaliotis et Phthiotis Achillem dominum agnouit.

Achillis regionem montanam quidem dicit Homerus Il. α. 156. 157; nullius tamen montis diſerte facit mentionem.

Fluuius: *Sperchius*, Σπερχειος, quem in Achillis regione quaerendum eſſe ex Il. π. 174, ψ. 142. 144, aliisque Homeri carminum locis

Ἐνθα δε Βοιωτοι, και Ἰαονες ἑλκεχιτωνες
Λοκροι και Φθιοι, και φαιδιμοεντες Ἐπειοι.

(Il. ν. 685. 636.) Ἰδιως δε Il. ν. 693. et 699. 700.

Προ Φθιων δε, Μεδων τε, μενεπτολεμος δε Ποδαρκης
Οἱ μεν προ Φθιων μεγαθυμων θωρηχθεντες,
Ναυφιν ἀμυνομενοι — — — ἐμαχοντο.

h. e. *Phthii vocantur et qui ſub Achille, et qui ſub Proteſilao, et qui ſub Philoctteta erant: idque teſtatum facit Homerus. Nam cum in recenſione eorum, qui Achilli parebant, po uiſſet eos*, qui Phthiam habitarent, *in pugna apud naues eos cum Achille manentes in nauibus et a pugna vacantes facit: pugnantes vero alios, qui Philoctetae ſuberant, et quos prius Proteſilaus, deinde Podarces ducebat. De quibus communiter ſic loquitur:* Illic autem Boeoti et Iaones longis veſtibus induti, Locri et Phthii, et illuſtres Epei; *peculiariter autem:* Ante Phthios autem Medonque, bellicoſusque Podarces, Hi quidem ante Phthios magnanimos armati, Naues defendentes, (vna cum Boeotis) pugnabant.

locis plane intelligitur. Quid? quod eum in hac ipſa oriri, ſatis declarare mihi videntur verba Achillis Il. ψ. 144-151.

Fontes: Meſſeis, Μεσσηΐς, et

Hyperea, Ὑπερείη, Il. ζ. 457. Hos fontes LX fere ſtadiis ab antiqua Pharſalo remotos fuiſſe, ex Strabonis lib. IX. p. 493. veroſimillimum mihi videtur; eos autem Argis finitimos fuiſſe declarat ipſe Homerus Il. ζ. 456. 457.

§. LXXIX.

VRBES; OPPIDA.

Argi, Ἄργος, idque Πελασγικόν. Male plerosque hoc nomine omnem Theſſaliam intelligere, iam ſupra (§. XV. XVI. LXXIII.) monuimus. Tantum enim abeſt, vt ſic ſtatuentes ex ipſo Homero ſententiam ſuam poſſint confirmare, vt potius facili negotio plura e poeta noſtro argumenta petere poſſim, quae illam ſententiam tollunt. Primum enim Homerum Il. β. 681. ſeqq. vrbium oppidorumque recenſionem inſtituere facile apparet; tum nexus verſus 681. cum ſequenti idem affirmare iubet. Adde, quod poeta Il β. 681-694. non de vniuerſa Theſſalia loqui dicendus eſt, ſed de regione ea, quae ſuberat Achilli. Nihilo tamen ſecius veterum Homeri interpretum, qui ad noſtram aetatem peruenerunt, nullus, ſi bene memini, locum noſtrum de vrbe ditionis Achilleae accipit. Non defuiſſe tamen ante Strabonis aetatem, qui ſic ſtatuerint, praeciſe poteſt affirmari. Dubium enim non eſt, quin Strabo lib. IX. p. 493. lin. 1. 2. varias huius loci interpretationes recenſuerit. Lacuna quidem eſt apud Strabonem loco laudato; fragmentum tamen loci deperditi coniecturae meae addit probabilitatem. Videtur vrbs *Argi* haud longe ab antiqua Hellade ſita fuiſſe. Etenim fontes *Meſſeidem* et *Hypeream* prope Argos fuiſſe ipſe teſtatur Homerus Il. ζ. 456. 457. (nam et hunc locum de *Argis* vrbe accipiendum eſſe iudico,) hos autem ipſos fontes finitimos fuiſſe Helladi diſcimus e Strabonis libro IX. p. 493.

 Alos

Alos, Ἄλος, et

Alope, Ἀλόπη, oppida ditionis Achilleae erant, quorum non nisi nomina apud Homerum leguntur. Vulgo duo Phthiotidis oppida dicuntur, quorum alterum ab Athamante conditum, alterum dictum perhibetur ab Alope, Cercyonis aut Actoris filio. *Alos* ad Amphryssum fluuium, *Alope a*) inter Larissam Cremasten et Echinum sita fuisse dicitur. At dubium est, ne non ea loca intelligat Homerus. Iudicant potius Homericorum carminum interpretes, poetam duo oppida significare, hoc ipso nomine vocata, quae in ora Locridis maritima sita erant, quam Locridis partem ad Achillis ditionem pertinuisse affirmant. Strabo lib. IX. p. 494. (§. LXXIII.) Ceterum alii sunt, qui pro *Alos*, alii, qui pro *Alope Haliuntem*, Ἁλιοῦντα, substituant. Illud refert Eustathius ad Il. β. 682, hoc memoriae prodidit Strabo l. c.

Trachin, Τρηχὶν, vrbs Phthiotidis, quae post Heraclea appellari coepit. Distat tamen Heraclea ab antiqua Trachine siue Trachinia stadiis fere sex. Vid. Strabo lib. IX. p. 490.

Hellas, Ἑλλὰς, de qua confer. §. XIV. et

Phthia, Φθίη, de qua vide paragraphum LXXVII. Plerique Homeri interpretes his nominibus vrbes (forte cum finitimo agro) significari affirmant, a qua sententia, cum ea plerisque arrideat, recedere animus non est. Verosimillima quoque ea de caussa esse videtur, quoniam Homerus vrbium oppidorumque, quae sub Achillis imperio erant, recensionem instituit. Hellas olim primaria fuit Thessaliae vrbs, a qua insequuto aeuo primum toti Thessaliae, postea vero omni Graeciae Helladis nomen impositum est. Hellada Strabo in Phthiotide sitam fuisse tradit, (sita autem erat in Thessaliotide) falso persuasum sibi habens, ea loca ad vnum omnia, quibus Peleus imperabat, ad Phthiotidem pertinere. Hellada diluuio demum obrutam testatur Apollodorus l. I. c. 7. §. 2. Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 92. 93. Phthia Achil-

a) Omisit D'Anvillius in Tabula Graeciae Alopen Phthiotidis, et Alos Locridis,

Achillis patria erat, id quod post Homerum Virgilius Aen. I. 287. aliique obseruant.

Cum vero in interpretandis his nominibus, veterum maxime, mire discrepent sententiae, praecipuas harum sententiarum extremo digito attingere saltem animum induxi. Fuerunt, qui contenderent, Hellada omnino non diuersam esse a Phthia, vtrumque vero nomen meridionalem denotare omnis Thessaliae partem. Alii Hellada et Phthiam recte distinguunt, prouocantes ad ea Homeri loca, in quibus vtriusque vrbis simul facta est mentio. Il. β. 683. Od. λ. 495. Conf. Strabo lib. IX. p. 493. Pseudodidymus locum Homericum, ex Il. β. laudatum, de vrbe Hellade accipit, Scholiorum autem ineditorum Auctor apud Volborthium V. Cl. in Bibliotheca Noua Philol. omnem Phthiotidem intelligit. *Οἱ μεν*, inquit, *πολιν μιαν· οἱ δε πασαν Φθιωθιν· ὁ και βελτιον*, *alii vrbem vnam, alii omnem Phthiotidem, quod et melius*, intelligunt. Homeri loca de Phthia vrbe vide §. LXXVII. Adde, quod poeta hanc vrbem Od. δ. 9. verborum ambage Myrmidonum *ἀσυ*, idque *περικλυτον* appellat.

§. LXXX.

B. PROTESILAI DITIO.

Il. β. 695-710. Strabo lib. IX. p. 496. 497. Eustath. p. 691 - 694.

FINES; INCOLAE; VRBES; OPPIDA.

Protesilaus, (cui sub ipsum belli troiani initium interfecto germanus eius frater Podarces successit) Phthiotidis parti orientali, maximeque maritimae, imperabat, id quod ex Homerica eorum, qui ipsi suberant, locorum recensione satis apparet. Incolae huiusce regionis vocati sunt *Phthii*, *Φθιοι*. Conf. §. LXXVIII, ibique notam. Quae memorantur Homero loca, Protesilao subiecta, haec sunt:

Phylace, Φυλακη, cuius poeta adhuc Il. β. 700. Od. λ. 289 et alibi meminit *a*), primaria fuit, vti videtur, huiusce ditionis vrbs; habitabat enim in ea Protesilaus cum coniuge. Il. β. 700. Fuit et patria Iphicli, eiusque filiorum, Protesilai et Podarcis, qui ab hac ipsa vrbe interdum Φυλακιδαι, *Phylacidae*, appellantur; item Medonis, qui Aiacis frater erat, asylum, cum ob interfectum fratrem nouercae Erionidis, patriam relinquere cogeretur. Il. ν. 693. 698. Aberat *Phylace* haud longe a Thebe Phthiotica, quam et ipsam ad Protesilai regionem pertinuisse Strabo affirmat.

Pyrhasus, Πυῤῥασος, Homero teste locus ἀνθεμοεις, *herbosus*, et Cereris τεμενος *b*). Aberat, referente Strabone, non amplius duobus stadiis a *Pyrhaso* lucus, Cereri sacer, in quo huius deae fanum cernebatur. Non omnino repudianda est Eustathii sententia, qui *Pyrhasum* ob fertilitatem et vbertatem Cereris τεμενος ab Homero appellatam esse autumat. Etenim agri vbertate impulsi videntur, qui eum tenebant, in honorem Cereris fanum exstruxisse. Recedunt ab eorum sententia, qui *Pyrhasum* oppidum dicunt, Apion et Herodorus, Δημητρος τεμενος nomine *Demetrium vrbem* ab Homero significari, persuasum sibi habentes. Δημητρος, φασι teste Eustathio ad h. l. πολις ουχ ὁ Πυ'ρασος, ἀλλα πολις Δημητρειον, καλουμενη καθ' ἑαυτην, *vrbs*, inquiunt, *Cereris non Pyrhasus certe est, sed Demetreum, seu Cereris fanum, oppidum per se ac proprie ita appellatum.*

Iton, Ἰτων, ouiaria celebris erat. Homero enim μητηρ μηλων, *mater ouium*, dicta. Nomen accepit ab Itono heroe. Ab hac vrbe *Minerua Itonia et Itonis* celebratum nomen. Ibi enim in Mineruae honorem templum exstructum erat. Strabo lib. IX. p. 435. C. Casaub. Pausan. lib. 1. p. 12.

Antron

a) Desideratur hocce nomen in tabula D'Anuillii.

b) τεμενος Δημητρος h. l. significare regionem Cereri sacram, ex iis, quae narrat Strabo loco laudato, euincitur.

Antron, Ἄντρων, Homero ἀγχίαλος, *maritima*, dicta.

Ptelcum, Πτελεὸν, quam λεχεποίην, *herbofam*, Homerus appellat. Vrbs eiusdem nominis Homero in ditione Neftorea, Il. β. 594. memorata.

§. LXXXI.

C. EVMELI DITIO.

Il. β. 711 - 715. Strabo lib. IX. p. 497 - 498. Euftath. p. 698 - 702.

FINES; LACVS; VRBES ET OPPIDA.

Sequitur, vt de ea ditione exponam, cui imperabat Eumelus, Admeti et Alceftis filius. Ea magis ad feptentrionem fpectabat, quam ditio Protefilai, (Vide §. LXXX.) et partim ad Magnefiam, partim ad Pelafgiotidem pertinebat, proprie fic dictam. Erat enim Magnefia pars Pelafgiotidis.

Lacus; *Boebeis*, Βοιβηΐς. Memoratur Homero lacus hicce in copiarum recenfione, quibus imperabat Eumelus. Videtur ab oppido Boebe appellata.

Vrbes et Oppida: Pherae, Φεραί, cuius vrbis et Od. δ. 798. mentio fit, ad lacum Boebeidem fitae erant, referente ipfo Homero in Catalogo Nauium. Dicuntur *Pherae* a Pherete conditore. Apollod. lib. I. c. 9. §. 14. Inter praecipuas Theffaliae vrbes, quae tum temporis erant, noftra quoque referri debet. Vixit ibi Iafon tyrannus.

Boebae, Βοίβη, Magnefiae oppidum, quod ἐπὶ τῇ λίμνῃ κεῖσθαι, *paludi* (Boebeidi) *imminere* affirmat Strabo.

Glaphyrae, Γλαφυραί. Oppidi huius nomen ne D'Anuillius quidem in mappa Graeciae geographica expreffit. Quid? quod non a Cellario folum, (faltem in ea notitiae orbis antiqui editione, qua vti mihi conceffum fuit) fed et ab ipfo Strabone, perpetuo Geographiae Homericae interprete, praeterita. Sitae erant

Glaphyrae, quantum ex ordine, in recensendis ditionis nostrae locis a poeta seruato, colligere licet, inter Boeben et Iaolcum.

Iaolcus, Ἰαωλκος, Vati in Catalogo Nauium ἐϋκτιμενη, *bene aedificata*, et Od. λ. 255. ἐυρυχορος, *spatiosa*, dicta. Nomen ei dedit Iolcus, Amyrae filius. Sita erat in Magnesia, non amplius septem stadiis a mari distans; Strabonis tamen aeuo dudum deleta erat. Notissima est Iaolcus ob Argonautarum expeditionem.

§. LXXXII.

D. PHILOCTETIS DITIO.

Il. β. 716-728. Strabo lib. IX. p. 498. Eustath. p. 702-708.

FINES; INCOLAE; MONS; OPPIDA.

Philoctetes, iaculandi peritia inclytus, imperabat viris, qui τοξων εὐ εἰδοτες ἶφι μαχεσθαι, *arcu periti ad fortiter pugnandum*, teste Vate nostro Il. β. 720. Eius ditio finitima erat ditioni Eumeli. Philocteten cum Achiui, graui morbo laborantem, in Lemno insula reliquissent, Medon eius classem gubernabat. Il. β. 721. seqq.

Mons: *Ossa*: Od. λ. 314. Ad Eumeli ditionem pertinere videtur.

Oppida: *Methone*, Μηθωνη. Plures veteribus memorantur eiusdem nominis vrbes. Alia erat in Thracia, alia in Messenia. Nostra ad Magnesiam pertinebat.

Thaumacia, Θαυμακιη, a D'Anuillio in tabula praeterita *a*).

Meliboea, Μελιβοια. Huc pertinet Strabonis locus lib. VI. p. 254. A. Casaub. *πετηλια μεν ὀυν μητροπολις νομιζεται των Λευκανων,*

και

a) Thaumaci, qui locus in tabula D' Anvilliana legitur, omnino diuersi sunt a Thaumacia nostra. Illos ad Achillis ditionem pertinuisse, docet nos Strabo l. IX. p. 495.

και συνοικειται μεχρι νυν ἱκανως κτισμα δε ἐςι Φιλοκτητου, Φυγοντος την Μελιβοιαν κατα ςασιν, h. e. *Petilia, Lucanorum vrbs primaria censetur, et hodieque satis est frequens hominibus: condidit eam Philoctetes, cum Meliboea ob seditionem profugisset.* Conf. et Virg. Aen. III. 401. 402. Notissima est Meliboea purpura.

Olizon, Ὀλιζων, τρηχεια, *aspera*, Homero dicta.

§. LXXXIII.

E. DITIO PODALIRII ET MACHAONIS.

Il. β. 729-733. Strabo lib. IX. p. 498. 499. Eustath. p. 708-712.

In ditione Podalirii et Machaonis, Aesculapii filiorum, quae erat in Hestiaeotide, haec recensentur oppida:

Tricca, Τρικκη, eaque ἱπποβοτος, *equorum altrix*, Il δ. 202. in finibus Dolopum sita erat. Fuit ibi Aesculapii fanum antiquissimum.

Ithome, Ἰθωμη. Tradit eam Strabo natura fuisse munitam. Erat autem collibus circumdata et montosa, ipso teste Homero, cui κλωμακοεσσα dicitur. Fuerunt, qui Θωμην antiquissimum oppidi nomen fuisse traderent.

Oechalia, Οἰχαλιη, (a D'Anvillio in tabula geogr. praeterita) πολις Ἐυρυτου Οἰχαλιηος, *ciuitas Euryti Oechaliensis*, Homero dicitur. Multae fuerunt vrbes cognomines, duplex adeo veteribus memoratur Thessaliae Oechalia, alia in Phthiotide, alia in Hestiaeotide. Posterior h. l. intelligi debet. Meminit nostrae poeta et Il. β. 596. Conf. §. XXXIV.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

F. EVRYPYLI DITIO.

Il. β. 734-737. Strabo lib. IX. p. 499-501. Euftath. p. 712 715.

INCOLARVM NOMEN; FONS; OPPIDA.

Venio ad Eurypyli ditionem, cuius incolae, vti coniicit Strabo, *Phthii* tum temporis appellabantur. Ταχα δε, inquit ille l. IX. p. 493, και οι συν Ευρυπυλῳ, Φθιοι ἐλεγοντο, ὁμοροι τουτοις (iis, quos Homerus Phthios diferte appellat, §. LXXVIII. not. a)) ʼοντες *fortaffis etiam, qui cum Eurypylo fuerunt, Phthii dicti funt, horum contermini.*

Fons: Hyperea, Ὑπερεια, prope quem confediffe homines ex Homero facile colligitur. Strabo fontem noftrum extitiffe affirmat in media Pheraeorum vrbe; quae tamen fententia aut omnino reiicienda eft, aut ponamus neceffe eft, Pheras, Straboni memoratas, omnino diuerfas effe a Pheris, quibus Eumelus imperabat. Hiat tamen ille Strabonis locus, in quo de fonte Hyperea egit. Dicta eft Hyperea ab Hyperete, Lycaonis filio. Alia eft Hyperea, fons prope Hellada et Argos vrbes, de qua vide §. LXXVIII.

Oppida: Ormenium, Ὀρμενιον, poftmodo Orminium, Plinio H. N. l. IV. c. 9. Hormenium dictum, pagus memoratur Straboni in Magnefia fub Pelio monte, haud procul a Pagafaeo finu. Nomen accepit ab Ormeno, Phoenicis auo.

Afterium, Αςεριον. Aberat haud longe a Titano.

Titanus, Τιτανος. Homerus verborum ambage dixit Τιτανοιο λευκα καρηνα, *Titani albos vertices*, nifi potius haec loquendi formula de acropoli quadam Titani accipi debet. Non defuerunt, qui ipfum Titanum montem intelligerent, quae tamen fententia Straboni aliisque minime arridet. Defunt Titanus et Afterium in tabula D'Anvilliana.

§. LXXXV.

G. POLYPOETIS ET LEONTEI DITIO.

Il. β. 738-747. Strabo l. IX. p. 501. 502. Eustath. p. 715-719.

INCOLAE; VRBES; OPPIDA.

De *Lapithis*, qui Polypoeti, et Leonteo suberant, in vniversum nonnulla §. LXXIV. commemorauimus.

Vrbes et Oppida: *Argissa*, Ἀργισσα, postea Ἀργουρα, ad Peneum sita erat. Eam Larissae filii condidisse perhibentur. Etsi in nonnullis Codd. legatur Ἀργειαν, eandem tamen vrbem ab interpretibus intelligi, obseruatum iam Eustathio.

Gyrton, Γυρτων. Eius conditor erat Gyrton, Phlegyae frater. Sacra erat Apollini.

Orthe Ὀρθη, de qua ita loquitur Strabo l. IX. p. 440. A. Casaub. Ὀρθην δε τινες την ἀκροπολιν των Φαλαννaιων εἰρηκασιν, ἡ δε Φαλαννα Περραιβικη πολις προς τῳ Πηνειῳ πλησιον των Τεμπων, h. e. Orthen quidam pro Phalannaeorum arce accipiunt; est autem Phalanna vrbs Perrhaebica ad Peneum prope Tempe.

Elone, Ἠλωνη *a*), quae et Leimone vocabatur, et postea Elasson. Sita erat prope Titaresium flumen. Herculem, victis Centauris, eam condidisse, memoriae proditum est; Strabonis tamen aeuo iam deleta erat.

Oloosson, Ὀλοοσσων, Homero *alba* dicitur, idque ἀπο του λευκαργιλος εἰναι, vti dixit Strabo. Eodem teste et haec ad Titaresium sita erat *b*).

Larissa, Λαρισσα, ἐριβωλαξ, Homero Il. ρ. 301. dicta, inter Argissam et Gyrtonem media erat. Quae cum sint loca, Polypoeti

a) *Orthe* et *Elone* desunt in mappa D'Anuilliana.

b) D'Anuillius oppidum hocce posuit ad Eurotam fluuium, quem ex suo ipsius ingenio in tabula expressit. Eurotas non diuersus est a Titaresio. Conf. §. LXXXVII.

poeti et Leonteo ſubiecta, inde colligi poſſe autumo, Lariſſam quoque iis paruiſſe; eius enim in Catalogo Nauium nulla mentio.

§. LXXXVI.

H. GVNEI DITIO.

Il. β. 748-755. Strabo l. IX. p. 502. 503. Euſtath. p. 719-729.

POPVLI.

Venio ad octauam Theſſaliae ditionem, cui imperabat Guneus, hoc eſt, ad eam, quam tenebant *Enienes* et *Perhaebi*. (§. LXXIV).

Enienes, Ἐνιῆνες. Vulgo ſcribunt Αἰνιᾶνας, teſte Euſtathio, prouocantes ad Αἰνίαν, Perhaeborum vrbem. Dicti ſunt vel ab Aeno, Gunei fratre, vel ab Aeno, Theſſaliae oppido.

Perhaebi, Περαιβοὶ, *μενεπτόλεμοι* Homero dicti, quo ille epitheto fortem eorum animum praedicat. Idem eos circa Dodonam habitare affirmat. *Perhaebos* vulgo inquilinos dicunt, id quod ſatis probat, eos ab antiquiſſimis inde temporibus Theſſaliam inhabitaſſe.

§. LXXXVII.

FLVVIVS; MONS.

Fluuius: *Titareſius*, Τιταρήσιος, quem Homerus ſuam in Peneum aquam immittere quidem, huic tamen non commiſceri, ſed olei inſtar eum ſupernatare narrat *a*). *Titareſius* etiam *Eurotas* appel-

a) Strabo l. IX. p. 441. C. Caſaub. *το μεν ουν του Πηνειου καθαρον εστιν υδωρ, το δε του Τιταρησιου λιπαρον εκ τινος υλης, ως' ου συμμισγεται, 'αλλα τε μεν καθυπερθεν επιτρεχει ηυτ' ελαιον*, *Penei aqua pura eſt, Titareſii pingui quadam ex materia, itaque Homerus ait, eum non miſceri Peneo, ſed aquis eius olei in morem ſupernatare*. Euſtath. p. 725. Polit.

appellatur *b*). Ceterum Homerus in eo Nauium Catalogi loco, in quo Titaresii meminit, innuit et fluuii huius accolas.

Mons: Olympus, Ὀλυμπος, omnium Thessaliae montium celeberrimus, situs in ea regione, cui Iliacis temporibus Guneus imperabat. Cuius montis, licet sexcenties meminit Vates, eum tamen in populorum, qui Guneum sequuti sunt, recensione, neutiquam commemorauit. Quae mihi de Olympo dicenda sunt, tribus verbis edisseram; copiose enim de hoc monte egit Volborthius, Vir Clarissimus *c*). Antiquissima est et communis veterum opinio, eaque ipso Homero, poetarum patre et principe, vetustior, Olympum Thessaliae montem, sedem esse Deorum. Inde Iupiter haud raro ὀλυμπιος dicitur, v. c. Il. α. 508, et Homerus, Olympum innuens, aedes nominat Ζηνος Ὀλυμπιου. Od. α. 27. δ. 74. Epithetorum, quae Olympo a poeta nostro atttributa sunt, magnus est numerus, quorum plerique ab eius altitudine petita sunt. Appellatur autem *niuosus*, ἀγαννιφος, Il. α. 420. σ. 186. *longus* et *altus*, μακρος *d*). Rarius occurrunt epitheta αἰπυς, Il. ε. 367. 868. ο. 84. ἀκρος et μεγας, Il. ν. 523. ϑ. 443, αἰγληεις, i. e. *splendidus* et *coruscus*, Il. α. 532. ν. 243. Od. υ. 103, πολυπτυχος, Il.

Polit.: το δη ἐπικολασιμον του Τιταρησιου γινεται μεν ἢ δια κουφοτητα ὑδατος, ὁπερ συμβαινει και τοις εἰς ϑαλασσαν ἐκβαλλουσι ποταμοις, ἢ και δια γλισχροτητα μεταλλικην, *quod autem Titaresius summus fluat ac supernatet, id fit, aut ex leuitate aquae, quod contingit etiam fluminibus, exonerantibus sese in mare, aut ex viscosa quadam aquarum metallicarum natura.* Conf. et Politi annot. ad h. l.

b) D'Anuillius in tabula Graeciae Eurotam fluuium posuit iuxta Titaresium; Eurotas ibi delendus est.

c) Disputatio de Olympo, Thessaliae monte, Deorum sede. Gotting. 1776. 4.

d) Saepissime hoc epitheton occurrit. Il. α. 402. β. 48. ε. 398. ϑ. 199. 410. ι. 21. 79. σ. 142. ω. 468. 694. Od. κ. 307. ο. 43. υ. 73. ω. 350.

Il. ϑ. 411. v. 5. (Conf. Euftath. ad Iliad. p. 102. 1263. 1337. edit. Bafil.) et πολυδειρας. Fufius epitheta haecce ad vnum omnia explicata funt a Volborthio, V. Cl. l. c. §. XIII.

§. LXXXVIII.

VRBES.

Cyphus, Κυφος, Gunei metropolis fuiffe videtur. Il. β. 748. Straboni (lib. IX. p. 504.) eft κατοικια in monte cognomine.

Dodona, Δωδωνη. Alia haec eft, quam Dodona, vrbs Moloffidis in Epiro, templo et oraculo Iouis celeberrima, id quod iam Straboni obferuatum eft. Eo enim tefte Cyphus et Dodona, quibus Guneus imperabat, fitae erant prope Olympum et Tempe. Dodonam noftram dicit Homerus in Catalogo δυσχειμερον, *ob hiberna frigora habitatu difficilem a)*.

§. LXXXIX.

J. PROTHOI DITIO.

Il. β. 756-759. Strabo lib. IX. p. 503-505. Euftath. p. 729-732.

INCOLAE; MONS; FLVVIUS; OPPIDVM.

Subiecti erant Prothoo *Magnetes*, Μαγνητες, quorum nomine h. l. intelligendi funt ii, qui circa Peneum fluuium et Pelium montem habitabant. Quod quidem licet ex Il. β. 756. feqq. folis luce clarius appareat, Homerum tamen hoc loco obfcurius aliquantum loqui, ftatim quisque intelliget. Sane enim Ormenios et quorundam aliorum oppidorum ciues, qui et ipfi eam regionem inhabitabant. Prothoo non paruiffe, compertum habemus. §. LXXXIV. *Magnetum* nomine, tefte Strabone, intelligamus neceffe eft τους ἐντος των Τεμπων ἀπο του Πηνειου και της Ὀσσης

a) Cyphum et Dodonam omifit D'Anuillius in tab. Geogr.

σης, ἑως Πηλιου, Μακεδονων τοις Πιεριωταις ὁμορους, eos, qui intra Tempe a Peneo et Oſſa vsque ad Pelium ſunt, Pieriotis Macedonibus contermini.

Mons: Pelium, Πηλιον, cuius et Il. β. 744. π. 144. mentio fit. *Nemoroſum* eum appellat Homerus Od. λ. 315.

Fluuius: Peneus, Πηνειος. Il. β. 752. 753. Ibidem loquitur Vates de Πηνειῳ ἀργυροδινῃ, *argenteos vortices habente*, quod epitheton huic fluuio valde accommodatum eſſe, teſtatum legitur apud Brownium. Vid. Volborth. V. Cl. l. c. p. 9, ibique locum e Brownio transſcriptum. Flumen noſtrum, teſte Strabone l. c., e Pindo ortum, ad laeuam relicta Tricca, et accepto deinde Titareſio, inter Olympum et Oſſam defluens, in ſinu circa Meliboeam in mare exit. Male Euſtathius Peneum dicit inter Pelium et Oſſam in mare ſe praecipitare. Ceterum notandum, Auctorem hymni XX. (edit. Wolf.) Homero adſcripti; cygnos canoros in Theſſalia ad Penei ripam ponere, quos tamen vulgo in Lydia ſiue Maeonia prope Cayſtrum fluuium ponunt, quod et Homerum feciſſe conſtat ex Il. β. 460. 461. Vid. §. CXXXIV.

Oppidum: Budium, Βουδειον, Magneſiae locus, Homero Il. π. 572. memoratus. Neſcio tamen, cuinam Theſſaliae regioni adſcribi debeat.

IV.

IV. INSVLAE AD GRAECIAM PERTINENTES.

§. XC.

I. INSVLAE MAIORES: A. EVBOEA.

Il. β. 536-539. Strabo l. X. p. 508-514. Eustath. p. 577-590.

INSVLAE ET INSVLANORVM NOMINA.

Euboeae, Ἐυβοιας, nomen, quo solo insulam hancce Homerus appellat, Il. β. 535. 536. Od. γ. 174. η. 321. (varia enim huius insulae nomina, variis et temporibus imposita, ante Homeri tempora obtinuerunt) ab eius inde temporibus fuit vsitatissimum. Euboeam, (quam longissime a Phaeacum insula abesse tradit poeta Od. η. 321. 322.) tempore belli troiani incolebant Abantes *a*), viri fortissimi, siue, vti dixit Homerus, μενεα πνειοντες, Il. β. 536. 541-544. δ. 464, et *cominus pugnantes*, Il. β. 543. 544. Appellantur Abantes Il. β. 542. ὀπιθεν κομοωντες, *ab occipite* tantum *comati*, quod peculiare erat tonsurae Euboeicae, cuius originem descriptam dat Eustathius p. 588. 589.: Φασι οἱ Παλαιοι, ὁτι Κουρητες ἐν Χαλκιδι ᾠκησαν. συνεχους δε πολεμου ὀντος αὐτοις περι του Λιλαντιου πεδιου, ἐπει της κομης οἱ πολεμιοι δραττομενοι, κατεσπων αὐτοις, ὀπισθοκομοι γεγοναςι, τα ἐμπροσθεν κειρομενοι, *tradunt scriptores prisci, Curetes in Chalcide habitasse, cumque perpetua iis esset de Lilantio campo dimicatio, eosque hostes coma apprehensos prosternerent, capillatum occiput, detonsatum sinciput instituisse.* Vid. et Vollborthii V. Cl. Bibl. Phil. p. 343.

§. XCI.

a) De huius nominis origine haec tradit Strabo l. X. p. 509.: Φησι δ' Ἀριστοτελης ἐξ Ἀβας της Φωκικης Θρακας ὁρμηθεντας ἐποικησαι την νησον και ἐπονομασαι Ἀβαντας τους ἐχοντας αὐτην. οἱ δ' ἀπο ἡρωος Φασι, *Aristoteles ait, Thraces Abis, Phocidis vrbe, profectos, insulam hanc occupasse, et incolis Abantum nomen imposuisse. Alii id ab heroe quodam ductum dicunt.*

§. XCI.

VRBES.

Chalcis, Χαλκις, prima Euboeae vrbs, ad mare ſita, Aulidi oppoſita. *Chalcidem* et *Eretriam*, de qua ſtatim exponam, Athenienſes condidiſſe, iisque, finito troiano bello, frequentiam induxiſſe perhibentur. Quid? quod inſequuta aetate tanta fuit harum vrbium frequentia, vt ex eis coloniae in Macedoniam, Italiam et Siciliam deducerentur. Occurrit in Homero et Chalcis in Aetolia, §. LVIII, item in Elide. Conf. §. XXXV. not. a) et pag. 48.

Eretria, Ἐρετρια, quam Homerus metri cauſſa Εἰρετριαν appellat, dicta eſt ab Eretreo, Phaëtontis filio, qui in Titanum numero ponitur. Sita erat prope Geraeſtum Eretria, qua deleta nouam Eretriam prope Oropum condiderunt.

Hiſtiaea, Ἱστιαια, πολυσταφυλος, *vino felix*, Homero dicta. Sita erat prope Callantem fluuium in monte ſublimi. Nominis originem deducunt ab Hiſtiaea, priſca heroina, Hyriei filia. Qui Ἰστιαιαν legi iuſſerunt, longa oratione a Clarkio refutantur.

Caryſtus, Καρυστος, Styris finitima, Oechae monti ſubiecta. Notiſſima fuit Euboea Caryſtio marmore, de quo vide Strabonem.

Cerinthus, Κηρινθος, Homero ἐφαλος, *maritima*, dicta.

Dium, Διον, αἰπυ πτολιεθρον ſub Cenaeo promontorio.

Styra, Στυρα, ab Athenienſibus deleta eſt.

Praeter haec Euboea loca, in Cat. Nau. memorata, occurrunt adhuc in Homeri carminibus haec:

Geraeſtus, Γεραιστος. Od. γ. 177. Multa ibi fuiſſe memorantur templa, quorum celeberrimum fuit Neptuni templum.

Aegae, Αἰγαι. Il. ν. 21. Fuit et Aegis celeberrimum Neptuni fanum, Homero quoque memoratum. Minus recte Schol.

minor

minor Homerum l. c. *Aegas Achaicas* in animo habuiſſe putat. (§. XXVI.)

Gyrae quoque *petrae*, ante meridionalem Euboeae partem ſitae, ab Homero Od. δ. 400. commemoratae ſunt.

§. XCII.

B. CRETA.

Il. β. 645-652. Strabo l. X. p. 540. ſeqq. Euſtath. p. 666-669.

INSVLAE NOMEN; SITVS; POPVLI.

Cretam, Κρητην, (vide et Od. γ. 291.) in vniuerſum inſulam declarat Homerus εὐρειαν, *latam* h. e. magnam, v. c. Il. ν. 453. in medio mari ſitam, foecundam et frequentem. Od. τ. 172-174. Quin et ſummam fuiſſe frequentiam, inprimis ex Homerica eorum populorum recenſione recte colligitur, qui, natiua ſede relicta, Cretam ſedem fortunis ſuis delegerant *a*), Etenim, vt taceam, inſulanos omnes *Cretenſes* appellari, praeter *indigenas Cretenſes*, Ἐτεοκρητας, quos μεγαλητορας, *magnanimos*, poeta praedicat, inſulam hancce incolebant *Cydones*, Κυδωνες, circa Jardanum fluuium, Od. γ. 292. τ. 176. *Achiui*, Ἀχαιοι, *Dorienſes*, Δωριεες, iique τριχαΐκες *b*) et *Pelaſgi*, Πελασγοι, quorum priores indigenas

a) Varie exponitur haec vox. Strabo l. X. p. 541 τριχαΐκας, inquit, δεχονται, ἠτοι ἀπο της τριλοφιας, ἠ ἀπο του τριχινους εἰναι τους λοφους ἀφαμιλους. Didymus, τριχαΐκας, inquit, h. e. τριχη διαιρεθεντες. οἱ μεν γαρ Ἐυβοιαν κατῳκησαν οἱ δε Πελοποννησον οἱ δε Κρητην. Ἀπολλωνιος δε τους πολεμικους λεγει ἀπο του αἰσσοντας και ἐπισειοντας τας κομας ἐν τῃ περικεφαλαιᾳ, πολεμειν ἰσον τῳ κορυθαικι. εἰσι δε οἱ τους τριοφους, οἱ δε τους ὀρχισας ἀποδιδοασιν. Male Reimmannum (l. c. §. LXXVIII.) epitheton hocce Dorienſibus a poeta additum, populi nomen iudicaſſe video.

egnas iudicat Strabo *c*), posteriores tres aduenas. Lectu dignissima sunt, quae de antiquissimis hisce Cretae incolis monuit Strabo l. c. ad quem lectorem ablego. Ceterum Cretenses ob falsiloquia tum temporis male nondum audiuisse, ex Od. ν. 256. aliisque locis apparet. Saepissime enim Vlysses Cretensem se esse simulat; cum tamen id spectaret maxime, vt, qui eum audirent, narrationibus suis fidem haberent.

§. XCIII.

FLVVIVS; MONS; PORTVS.

Fluuius: *Iardanus*, Ἰαρδανος, quem circa *Cydonum* sedes Od. γ. 292. τ. 176. (§. XCII.) a plerisque Geographiae antiquae scriptoribus, et in his a Strabone et Cellario neglectus.

Cretae *montes niuosos* commemorat Vates Od. τ. 338., quo sane epitheto insulae montes altos, Idam et Dicten, innuere dicendus est.

Portus: *Amnisus*, Ἀμνισος Od. τ. 188. Conf. Strabo lib. X. p. 541. Didymo fluuius est.

§. XCIV.

QVOMODO HOMERVS IN VRBIVM CRETAE NVMERO INTELLIGENDVS SIT?

Vrbium Cretae indici, ex Homeri carminibus collecto, pauca praemittam de eo: *quomodo poeta in vrbium Cretae numero intelligi debeat?* Occurrunt enim duo apud poetam nostrum loca, Il. β. 649. Od. τ. 174, quorum priori *centum*, posteriori autem

c) lib. X. p. 540. Ibidem et ex Staphylo affert, quaenam Cretae loca quisque horum populorum tenuerit, quem tamen locum transscribere nolo. Cydonea occiduam insulae partem inhabitasse contendit. Quod si est, *Iardanus* hanc partem permanasse dicendus est.

autem *nonaginta vrbes* Creta habere dicitur. Mitto varias horum locorum explicationes ad tollendam illam verborum repugnantiam, ablegans lectores ad Strabon. l. X. p. 544 545. Vulgo Leucum, mota contra regem Idomeneum seditione, decem vrbes funditus deleuisse dicunt; (Conf. Schol. ad Il. β. 649.) quam tamen sententiam, vti reliquas omnes, non admittit Strabo l. c. afferens potius, Homerum insulam nostram sua aetate ἑκατοντοπολιν, Vlyssis autem tempore ἐννενηκοντάπολιν appellare. Sed vix credo, hac in re certi aliquid constitui posse. Et, quamquam, me iudice, Vates vocem πολιν vtroque loco sensu latiori adhibuisse dicendus est, ita, vt hoc vocabulo non vrbes tantum, sed vicos etiam pagosque complecteretur; eum tamen vtroque loco numerum posuisse rotundum, quo multitudinem locorum insulae exprimeret, statuere mallem. Meursius de Creta. cap. 5. testatur, se centum circiter et viginti vrbes in antiquis monumentis obseruasse. Aliis autem temporibus alius fuit Cretae vrbium numerus.

§. XCV.

VRBES.

Cnossus, Κνωσσος, quae Homero dicitur εὐρεια, Il. σ. 591, μεγαλη πολις et Minois regia Od. τ. 178. 179. Ex posteriori hoc loco probant vulgo, Homerum Minoem praedicasse bonum legislatorem. Sita erat *Cnossus* in planitie antiquo ambitu XXX. stadiorum.

Gortyn, Γορτυν, quam haud procul a mari distitam fuisse, ex Od. γ. 294 apparet, tempore belli troiani muris cincta erat. Il. β. 646. Postea diruta sunt moenia. Strabo l. X. p. 542.

Lyctus, Λυκτος. Il. β 647 ρ. 611. Dicta est a Lycto, Lycaonis filio. Strabo, et quidam alii, Λυττον legerunt pro Λυκτον.

Miletus, Μιλητος, nec non

Lycastus, Λυκαστος, eaque ἀργινοεις, *albicans*, in Catalogo memoratae. Vtraque vrbs Strabonis aeuo deleta erat. Strabo lib.

lib. X. p. 544. Lycaſto nomen impoſitum eſt a Lycaſto, Minois filio.

Phaeſtus, Φαιστός, ſiniſtrum Gortynis promontorium, a qua diſſita fuit LX. ſtadiis. A mari XX. ſtadiis aberat. Il. β. 648. coll. Od. γ. 295. 296.

Rhytium, Ῥύτιον. Il. β. 648. Eam Suidas Ῥύτειον dicit.

§. XCVI.

INSVLA PROPE CRETAM: DIA.

Dia, Δία. Inſulae huius, quam haud longe a Creta ſitam eſſe ſcimus, mentionem iniecit Homerus Od. λ. 324.

§. XCVII.

2. INSVLAE MINORES, ET QVIDEM IN ARCHIPELAGO.

α. *Cyclades.*

Delus a), Δῆλος, Apollini ſacra. Od. ζ. 162.

Ortygia, Ὀρτυγίη. Od. ε. 123. ο. 403. Inſulam hanc occaſum verſus ſitam eſſe iis, qui Ioniam tenent, τροπαὶ ἠελίοιο exprimit poeta, de qua loquendi formula vide, quae ſtatim *Syriae* inſulae deſcriptioni adiiciam. Poſtea appellabatur *Rhenaea*, quod nomen haud minus antiquum fuiſſe, ac Ortygiae nomen, ex Hymno in Apoll. 44. patet.

Syria, Συρίη. Od. ο. 402 *b*), poſtremo loco mihi commemoranda venit. Eam Homerus Il. ο. 403. 404. ad occidentem *c*), et

a) De Ortygia et Delo inſulis, quas nunc pro vna, nunc pro diuerſis habuerunt, vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. 59. et in Del. 37. 255.

b) Voſſii, V. Cl. de Syria inſula ſententia locum habere nequit. Vide eius notam ad Od. ο. 402. verſionis germanicae.

c) Scilicet: iis, qui Ioniam habitant. Conf. Euſtath. in l. Eumaeo quidem, in Ithaca degenti, ſita erat Syria verſus orientem: at inſulae ſi-

 tum

et supra Ortygiam d) sitam esse declarat. Ea non nimis frequens est hominibus, armento tamen, pecore, vino, frumento abundat. 404. 405. Salubritatem et felicitatem insulae praedicat Vates 406. 407. et duas adeo in ea vrbes memorat 411, quarum tamen nomina non occurrunt. Patria est Eumaei, cuius patrem ei imperasse constat ex vers. 412. 413.

§. XCVIII.

β. Sporades.

Scyrus, Σκυρος, cum vrbe cognomine, Homero Ἐνυηος πτολιεθρον, *Enyei vrbs*, dicta. Il. ι. 663. 664. Videtur Enyeo cuidam paruisse.

EPIRVS.

§. XCIX.

NOMEN. POPVLI.

Regio illa, ad quam nunc venio describendam, iam tempore belli troiani *Epiri*, Ἠπειρου, nomine, quod diu obtinuit, venisse, ex Od. η. 9. constat. Res enim agitur in Scheria insula, cuius incolas *Epiro* nomen imposuisse nullus dubito.

Meminit Vates, Od. ξ. 315, *terrae Thesprotorum* (γαιης Θεσπρωτων), quo nomine non Epirum omnem, sed non nisi regionem

tum e Ionia constituisse Homerum, probatum dedit b. Wood l. c. p. 36-45. vers. germ. quae Woodii disputatio et Ill. Heynio arridet in Goetting. Anzeig. 1770. St. 32. Hac ratione expedita sunt verba: τροπαι ἠελιοιο, in quibus explicandis multum desudarunt Viri docti.

d) Ex Ionia enim insulae situm constituit Homerus. Ceterum vocis καθυπερθεν ingeniosae explicationis meminit Wood in additamentis et emendationibus ad l. c. p. 4. 5.

nem, quam tenebant *Thesproti*, in opposito Chaoniae et Molossidis, denotare mihi videtur. Ipsos *Thesprotos* saepius commemorat, Od. ξ. 335. π. 65. 427, interdum et πιονα δημον eos appellat, Od. ρ. 526. τ. 271, quo tamen epitheto sola ἡ κατα γην πιοτης et fertilitas spectatur. Sub rege vixisse *Thesprotos*, ex Od. ξ. 316. abunde perspicitur.

Epiri Thesproticae partem inhabitabant *Ephyri*, Ἐφυροι, et ii quidem, qui Homero Il. ν. 301. memorantur. Sequor Pausaniam, auctorem grauissimum, qui (l. IX. p. 310.) locum nostrum his de Ephyris accipit, non, vt quidam fecerunt, de Crannoniis.

Selli, Σελλοι a). Il. π. 234. Vocantur ab Homero l. c. 235. ὑποφηται, *vates*, quoniam ii, quibus primis oraculi Dodonaei cura commissa fuit, futura praedicebant. *Selli* barbari erant, teste ipso Homero, qui l. c. illotis eos pedibus viuere humique cubare affirmat.

§. C.

FLVVII; VRBS.

Fluuii: *Acheron*, Ἀχερων, et qui prope Cichyrum oppidum in eum fluit,

Cocytus, Κωκυτος, semel Homero memorati. Od. κ. 513. 514. De vtroque flumine confer. §. IV. Adde Pausaniam lib. I. p. 15, quo in loco ἀτερπεστατον appellat Cocyti aquam. Itaque non est, quod mireris, Homerum, cum ipsi cognita essent haec flumina, eorum nomina fluuiis infernalibus imposuisse.

Vrbs: Dodona, Δωδωνη, eaque δυσχειμερος, *difficili hieme laborans*, ab asperitate situs appellata. Inclyta erat templo et oraculo

a) Alii scribunt Ἑλλοι. Schol. ad h. l. Strabo l. VII. p 380. De Sellis et de ὑποφηταις conf. Potteri Archaeol. Graec. T. I. p. 292. seqq. Lakemacheri Antiquitt. P. II. c. 3. §. 5.

culo Iouis, in Molossorum regione sita. Oraculi meminit poeta Od. ξ. 327. 328. τ. 296. 297. Pelasgos Dodonaeum oraculum fundasse Ephorus tradit apud Strabonem l. VII. p. 380. affirmans, ipsum Homerum Il. π. 233. has oraculi origines respexisse; quod tamen ex loco laudato difficile erit probatu.

INSVLA PROPE EPIRVM: SCHERIA.

§. CI.

INSVLAE NOMINA. INCOLARVM NOMINA, MORES ET STVDIA.

Scheria a), Σχερίη, Od. ε. 34. η. 79. ν. 160. *b*), saepius ab Homero verborum ambage appellatur Φαιήκων γαῖα, *Phaeacum terra*. Od. ε. 35. 280. 288. τ. 279. cet. *Scheriam* enim Φαίηκες, *Phaeaces* tenebant, qui Hyperea Siciliae vrbe, (§. XI.) ob iniuriam, a Cyclopibus ipsis illatam, relicta, sedem fortunis suis eam elegerant, Od. ζ. 2-8. Ob fertilitatem iam ab antiquissima inde aetate celeberrimam fuisse *Scheriam*, ex Od. η. 114. seqq. facile perspicitur. Litus insulae magna ex parte arduum ascensu, laeue et durum describit Vates, et ante litus prominentia ponit saxa. Od. ε. 405. 411-413. 415. 425. rel. Attamen circa ostium fluuii, nescio cuius, planum fuit. Od. ε. 441. seqq. Insulae descriptionem, quam dedit Homerus Od. ζ. 59. seqq. a vero plane non recedere, persuadere mihi nequeo; plus tamen veri, quam commentitii in ea inesse, facile credo.

Insulani tum temporis non amplius omni morum elegantia destituti erant, nec, vt multi eius aetatis populi, a vitae cultu abhor-

a) Corcyram intelligendam esse multa Homeri loca, in primis Od. ξ. 314. seqq. declarant. Nec infringunt hanc sententiam ea loca, in quibus insulam in Oceano ponere videtur poeta, v. c. Od. ζ. 8. 203. Nimirum pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

b) Facile tamen hic locus de Scheria vrbe accipi potest.

horrebant. In cauſſa erat mercatura maritima, cui eos operam dediſſe, ex Homeri ſcriptis abunde cognoſcitur. Appellantur enim a poeta nunc φιληρετμοι, *rei nauticae ſtudioſi*, Od. ϑ. 96. λ. 348. ν. 36, nunc ναυσικλυτοι, *nauigandi peritia clari c)*; Od. ϑ. 191. 369. ν. 166. nunc etiam multas hominum vrbes agrosque noſcere dicuntur. Od. ϑ. 560. 561. Quatuor *Phaeacum* artes dicit Homerus, nauigationem, curſum, ſaltationem, cantum, Od. ϑ. 253; bonos autem pugiles et luctatores eos fuiſſe negat. Od. ϑ. 246. *Phaeaces* porro poeta noſter molles, intemperantes, crapulae inſeruientes, epulis, conuiuiis et voluptatibus deditos, et commeſſationes in multam noctem producentes depingit Od. η. 84. ſeqq. ideoque non male eos πιονα δημον Od. ν. 322. appellaſſe dicendus eſt. Cum vero inſulanos ἀγχιθεους, *diis propinquos* appellat, hoc epitheto ab hoſpitalitate laudari mihi videntur. Od. ε. 35. Phaeacum mulieres ab arte nendi et texendi Od. η. 109-111. laudantur.

§. CII.

FLVVIVS; FONTES; MONS; VRBS.

Inſulae noſtrae *fluuium* Homerus Od. ε. 441. 453. cet. commemorat quidem, eumque *Scheriam vrbem* praeterfluere multis Od. ζ. locis declarat; ipſum tamen *fluuii* nomen in neutro eius carmine occurrit. *Fontis* etiam in conſpicuo montis (Iſtones) loco meminit Od ε 475. 476. qui fons tamen diuerſus eſſe videtur ab eo, qui Od ζ. 292. memoratur. *Iſtonem*, inſulae *montem*, eumque *ſyluoſum*, ſaepius innuit poeta, v. c. Od ε. 279. 358 470. 471. *Vrbem Scheriam*, Σχεριην, inſulae cognominem, diſerte nominat Od ζ 8, eam tamen ſaepius verborum ambage *Phaeacum* πολιν appellat. Od. ζ 262. 298 rel. Hanc ſitam eſſe dicit in ea inſulae parte, quae aliquantum in mare excurrit. Od. ζ. 262-265. Cum vero affirmat Homerus l. c. vrbem vtrinque

c) Huc pertinent et ea loca, in quibus *Phaeaces* δολιχηρετμοι appellantur. Od. ϑ. 191. 369. ν. 166.

que idoneum habere portum, id non proprie ſed de crepidine litoris accipi debet. Nec Od. η. 43. de portu proprie ſic dicto nobis erit cogitandum. Praeterea *Scheriam vrbem* muro cum turribus altis fuiſſe cinctam, diſcimus ex Od. ζ. 262. ſeqq. Adde Od. ζ. 9. Ante vrbem exſtructum fuiſſe videtur Neptuni fanum, cuius mentionem Homerus Od. ζ. 266. 267. iniecit.

THRACIA.

§. CIII.

FINES; DIVISIO.

Nunc ad Thraciam veniamus deſcribendam. In qua tamen deſcriptione, cum Iliacis temporibus omnem ab Iſtro fluvio vsque ad Theſſaliam regionem Thraces tenuiſſe videantur, hoc mihi video eſſe faciendum, vt, praeter Thraciam, poſtmodum ſtricte ſic dictam, Moeſiam quoque ſiue Myſiam Europaeam et eam regionem, quae inſequuta aetate Macedonia dici coepit, ſimul deſcribam, et hac de Thracia commentatione complectar. Eam tamen, (ne turbae fiant) tres partes conſtituent, quarum prima de iis exponam, quae de Macedonia, poſtmodo ſic dicta, in Homeri ſcriptis occurrunt, altera Thraciam deſcribam, tertia denique de Myſia abſoluam. Quibus praemiſſis, facile quisque intelliget, Θρηκων αιαν, *Thraciam terram*, Il. ν. 4. commemoratam, forte et alia quaedam loca, quae §. CVI. occurrunt, rectius de tribus his Europae regionibus, quam de ſola Thracia, proprie ſic dicta, accipi. Quod reliquum eſt, eorum pleroſque, qui illas regiones tenebant, et quos communi *Thracum* nomine complecti mihi liceat, Troianis in bello Iliaco ſuppetias tuliſſe, e copiarum recenſione apparet.

§. CIV.

§. CIV.

1. MACEDONIA.

NOMEN; REGIONES.

Qui *Macedoniae* nomen in Homeri carminibus quaerit, operam ludit. Eas enim regiones, quae postea Macedoniae nomine comprehendebantur, ea aetate communi nomine nondum appellatas fuisse, inter omnes constat. Nec *Emathiae* nomine Il. ξ. 226. (id quod nonnullos fecisse video) *Macedoniam* omnem Vates denotare dicendus est. Obstat enim prius laudati loci Homerici membrum, quo minus eorum, qui sic statuerunt, sententia probari possit.

Macedoniae regiones, quarum meminit Homerus, hae sunt:

Pieria, Πιερίη. Il. ξ. 226. Od. ε. 50. Equos *Pieriae* cum laude commemorat Homerus Il. β. 763. seqq.

Emathia, Ἠμαθίη, amoena regio dicta Homero Il. ξ. 226.

Paeonia, Παιονίη, cuius fertilitatem praedicat Homerus Il. ρ. 350. φ. 154. Frequens et incolarum mentio, v. c. Il. β. 848. κ. 428. *a)* π. 287. φ. 155, quibus quoque in locis nunc *sagittarii* dicuntur, nunc *equestres bellatores*.

§. CV.

MONS; FLVVIVS; VRBES.

Mons: Athos, Ἄθος. Il. ξ. 229.

Fluuius: *Axius*, Ἀξιός. Il. β. 849. 850. π. 288. φ. 141. 157. 158. Limpidissima dicitur eius aqua (κάλλιστον ὕδωρ) Il. β. 850 et φ. 158. Homerum reprehendit Strabo lib. VII, Axium turbidum esse affirmans. At, vti res omnes, ita et fluuii mutationibus sunt obnoxii. Minus recte respondere mihi videtur Stra-

a) His tamen in locis speciatim eos dicit Homerus, qui Amydon vrbem inhabitabant. Erat autem sita Amydon in Paeonia.

Straboni Clarkius. Ille enim *fortaſſe*, inquit, *tempeſtate quadam pluuioſa notam et colorem huius fluuii acceperat Strabo.*

Vrbes: *Amydon*, Ἀμυδών, quam in Paeonia ad Axium fluvium ipſe ponit Homerus Il. β. 849. et π. 288.

Ciſſum, Κισσον, quoque oppidum Strabone iudice cognitum habuit Homerus. Ille enim oppidi huiusce mentionem faciens (Chreſtom. lib. VII. p. 330. A. Caſaub.) ex ea, ait, quempiam exiſtimaſſe, Amphidamantem Homeri fuiſſe, quem auus Ciſſeus educauit in Thracia, quae nunc Macedonia appellatur.

§. CVI.

2. THRACIA STRICTE SIC DICTA.

NOMEN; INCOLAE.

Regionis nomen Il. ι. 5. (ob quem locum male Eratoſthenem reprehendiſſe Homerum, Strabo docet lib. I. p. 26) λ. 222. ν. 301. Od. θ. 361. occurrit, quorum locorum altero a fertilitate et ouiaria ea laudatur. In ſpecie quoque eam Thraciae partem memorat Homerus, quae Helleſponto adiacet. Il. β. 844. 845. *Thraces*, iique bellicoſi, faepius commemorantur, v. c. Il. β. 844. δ. 519. ν. 4. ξ. 227. quorum tamen nomen nunc latiori nunc ſtrictiori ſenſu accipi debet. Memorantur praeterea Homero

Cicones, Κίκονες, bellicoſus Thraciae populus. Il. β. 846. ρ. 73. qui docti erant e curru pugnare, interdum tamen et pedeſtri militia fungebantur. Od. ι. 49. 50. Apud Cicones Vlyſſes, Troia relicta, primum appulit. Cui quid ibi euenerit Homerus enarrat Od. ι. 39. ſeqq.

§. CVII.

MONTES; VRBES.

Thraciae *montium* mentio fit Il. ξ. 227, ita tamen, vt poeta ne vnius quidem nomen profiteatur. Appellantur l. c. *niuoſi* (ὄρεα

(ὄρεα νιφόεντα), quod epitheton ad eorum altitudinem manifeste referendum eſt. *Nyſam* tamen montem, alio loco, nimirum Il. ζ. 133. memorat Homerus, qui non de Niſa Indiae, vt plerique ſtatuerunt, in quibus et Strabo conſpicitur lib. XV. p. 787, accipi debet. Scilicet cum poetis ad Orgia Bacchi, diuerſis in locis enarranda, opus eſſet monte, in quo illa agerentur, Nyſam aliquam vbique intulere. Verba ſunt illuſtris Heynii ad Apollod. p. 564.

Vrbes: *Iſmarus*, Ἴσμαρος, ad mare ſita et ab Vlyſſe vaſtata. Od. ι. 39. 40. Poſtea Maronea vocabatur. Prope Iſmarum lucus erat, ſacer Apollini, in cuius honorem et templum ibi exſtructum fuiſſe ex Od. ι. 197. 198. diſcimus. Supra alia quaecunque vina *vinum* Homerus effert *Maroneum*, cuius vnum poculum viginti aquae menſuris temperatum, ſtrenuum tamen ſaporem ſuum probe retinebat. Rubrum fuiſſe hocce vinum, ex Od. ι. 208-211. perſpicitur. Eius vini meminit quoque Plinius H. N. lib. XIV. cap. 4. et vel ſua aetata nobile fuiſſe affirmat. Conf. Riccii diſſertat. Homer. tom. 1. p. 176. Feithii antiquitt. Homer. l. III. cap. 2. §. 3. Ne multa ſuauiſſimum et generoſiſſimum vinum Homerus dicit Maroneum *a*).

Aenus, Αἶνος. Il. δ. 520.

Seſtus, Σηστος, Straboni ἀριστη των ἐν χεῤῥονησῳ πολεων dicta. Sita erat *Seſtus* e regione Abydi, loci Aſiatici. *Seſtus* et *Abydus* noſtrae ſunt *Dardanellae*. Suberat forte tota Cherſoneſus Thracica Iliacis temporibus Aſii poteſtati, qui *Seſto* celeberrimae Cherſoneſi illius vrbi, et Percotae, Practio aliisque locis in Aſia ſitis, quo-

a) Maximus eſt apud Homerum vini vſus. Quin etiam equis vinum bibendum dederunt. Il. ϑ. 189. Praeter vinum Maroneum Pramnium Homerus Od. κ. 235. μ. 19. laudat, quod idem Plinius naſci refert in regione Smyrnae iuxta delubrum matris deorum ita, vt eius honor tum quoque duraret. Vid. Riccii diſſ. Homer. tom. 1. p. 174. ſeqq. Pramnium quoque vinum rubrum erat. Od. μ. 19.

quorumque recensionem dat Homerus Il. β. 835. seqq. imperabat. (§. CXIX).

Cabesus. Καβησος. Il. ν. 363. Thraciae vrbem fuisse *Cabesum*, disco e Scholiaste minori, at de eius situ hactenus nihil mihi innotuit. Omissa quoque est a D'Anuillio in tabula.

Aesyme, 'Αισυμη, Il. θ. 304. vrbs Thraciae maritima, Thucydidi (IV. 107.) *Oesyme*, 'Οισυμη, dicta nisi forte alterutra lectio corrupta est.

§. CVIII.

3. MYSI.

Ante Strabonem, Posidonium scimus bene obseruasse *Mysorum*, Μυσων, nomine, Il. ν. 5. obuio, *Mysos Europaeos*, e stirpe Thracica oriundos, non *Asiaticos*, esse intelligendos. Orationis serie enim satis comprobatur Posidonii sententia. Iouem scilicet narrat Homerus a Troade oculos auertentem, eos *rursum vertere* (παλιν τρεπειν) h. e. retro vertere, et intueri terram Thracum, Mysorum, Ἱππημολγων, (§. CIX.) cet. Adde, quod Ἱππημολγων cet. nomine Scythas intelligit, populum Europaeum, Thracibus et Mysiis Europaeis finitimum. (CIX.) Plura, quae huc faciunt, exhibet Strabo l. VII. p. 235. 236. Quod autem Homerus *Mysos* 'αγχεμαχους, *cominus pugnantes*, appellat, id ad eorum fortem et intrepidum animum, non magis, quam ad eorum pugnandi morem referendum esse, quisque non ignorat. Nec in alia sententia Strabo fuisse videtur, qui vulgarem lectionem Il. ν. init. tanquam genuinam contra Posidonium defendens, Mysos ἀγχεμαχους dici putat, *quod boni sint bellatores, neque agi ac ferri sua patiantur*.

§. CIX.

HIPPOMOLGI h. e. SCYTHAE EVROPAEI. Il. ν. 5. 6.

Restat, vt in Geographiae Homericae sectione prima explicem difficiliorem Iliadis locum, qui Il. ν. 5. 6. occurrit. Ad quem ta-

tamen illustrandum cum a veteribus, maxime a Strabone, lib. VII. congesta sint multa, tribus verbis de eo absoluam.

Intento animo Iliadis libri XIII. initium legenti facile apparebit, Homerum innuere homines, qui erant nomades, et ea maxime loca peruagabantur, quae erant Mysis Europaeis finitima. (Conf. §. CVIII.) Quae cum in Scythas nomades quadrent, eos Ἱππημολγῶν, Ἀβίων et Γλακτοφάγων nomine ab Homeri significari *perquam probabile est*. Arcessito autem in auxilium Hesiodi versu:

Αἰθίοπας τε Λίγυς ἠδὲ Σκύθας ἱππημολγούς,

nec non illo Aeschyli loco:

ἀλλ' ἱππικῆς βοτῆρες εὔνομοι Σκύθαι,

gens iusta et equis pascendis dediti Scythae, a Strabone lib. VII. p. 340. 341. laudatis, locum nostrum de *Scythis Europaeis* accipiendum esse satis apparet. Strabo Ἱππημολγῶν (vox equorum mulctores denotat) nomen quasi proprium, reliqua duo appellatiua esse iudicat, et omnem illum Homeri locum ita interpretatur, vt poetam Ἱππημολγοὺς appellare dicat γλακτοφάγους et ἀβίους h. e. *laribus carentes, paucis ad vitam sustentandam contentos et omnia habentes communia.* (ἀνεστίους καὶ ἁμαξοίκους - ἀπ' ὀλίγων εὐτελῶς ζῶντας, lib. VII. p. 336. κοινὰ κεκτημένους πάντα. p. 340.) Denique de Scytharum integritate vel Horatius doceat Od. III. 24. 9. seqq. Homerum non male pronunciasse; eos enim poeta noster appellat l. c. δικαιοτάτους ἀνθρώπων. Hactenus dictis adde Strabonis locum l. VII. p. 336. qui incipit: Ἀβίους δὲ τοὺς χήρους.

Subiicio obseruationem, silentio a me praetermissam. Quam cum in memoriam mihi reuocauerit Ill. Heyne programmate recens edito, quo *rerum Chersonesi Tauricae memoriam breuiter exposuit*, eiusdem Viri summi verbis vti mihi liceat. Ita autem ille: Homerus non nisi obscuram aliquam septentrionis notitiam prodidit, primo dum Ἱππημολγούς, Ἀβίους, Γαλακτοφάγους, commemo-

rat, vt adeo ipſum Scytharum nomen illa aetate inauditum fuiſſe credas, tum, quando Cimmerios memorauit, mythice tamen; dum ea, quae de populis ſeptentrionales plagas, aere plerumque pluuio aut niue obſcuratas incolentibus, vulgo narrata acceperat, ad ea Italiae loca tranſtulit, in quibus aditum ad loca infera conſtituerat. (§. V. CXI.).

GEOGRAPHIAE HOMERI

Sect. II.

ASIA.

§. CX.

Venio nunc ad alteram commentationis meae partem, quae in depingenda Aſia verſabitur. Prius vero quam ad ipſam huius orbis terrarum partis deſcriptionem accedam, primum de *maribus*, quae fere totam minorem Aſiam, quam vocant, cingunt, tum de *inſulis maris Aegaei*, et *Cypro in mari mediterraneo* ſita exponam.

§. CXI.

MARIA.

Pontum Euxinum Homero probe innotuiſſe ex iis, quae de Cimmeriis Od. λ. init. narrat, et e Planctarum commemoratione, Od.

a) Homerus *Oceani* nomine Od. λ. 13. non Pontum Euxinum, id quod antea putabam, (Proleg. §. I. pag. 2.), ſed ſinum maris Tyrrheni a Circaeo promontorio vsque ad Baias intelligit. De eodem ſinu, non vti ibidem legitur, de omni mari Tyrrheno. Od. κ. 508. accipi debet.

Od. μ. 61. abunde cognoscitur. (Conf. Wood. l. c. p. 76. vers. germ.). Duae illae cautes sub ingressum Ponti Euxini, quae ab Homero *Planctae* appellantur, Od. μ. 61. ab aliis nunc Cyaneae petrae dicuntur, nunc Symplegades, nunc Syndromades. *Planctae* appellantur, quoniam ii, qui primi per Pontum Euxinum nauigabant, horum saxorum situm incertum putabant. Conf. Ill. Heyne ad Apollod. p. 197. Confinxit autem Homerus Planctas Od. μ. 59. seqq. haud procul a Sicilia, vbi iacent Insulae Aeoliae, quarum vna, Strongylen dico, natatilis erat.

His nonnulla de *Cimmeriis*, Κιμμερίοις, Pontum Euxinum accolentibus subiungam. Dubium enim non est, quin Homerus eos cognitos habuerit. Innotuit adeo Vati, populum hunc illam terrae inclinationem inhabitasse. Od. λ. 15 - 17. Quae vero de *Cimmeriis* ipsi innotuerunt, ea, vti videtur, ab Ionibus, forte ab ipsis *Cimmeriis* didicerat. Hos enim in Ioniam quondam profectos constat; tamen incertum est, vtrum ipsa Homeri aetate, an paullo ante eo peruenerint. Vid. Strabo l. I. p. 5. l. III. p. 157. Conf. §. V. et §. CIX. not. a).

Hellespontus, Ἑλλήσποντος. Eius freqnens apud Homerum mentio. Appellatur a poeta ἀγάῤῥοος, *celeriter fluens*, *rapidus*, Il. β. 845. μ. 30. ἰχθυόεις, Il. ι. 360. et πλατύς, Od. ω. 82, quorum epithetorum primum saltem satis declarat, Hellespontum antiquissimis temporibus pro fluuio habitum *b*).

Aegaeum mare disertis verbis ab Homero non commemoratur; significatur autem Il. α. 350. ξ. 284. ψ. 214. *Thracius pontus* dicitur Il. ψ. 230. De eodem mari accipi quoque debere Il. α. 34, testatur vrbis Chrysae situs, quo etiam loco *multo strepitu resonans* dicitur. De Hellesponto ille locus accipi nequit, quippe qui non satis latus est, vt in hunc epitheton illud quadrare

b) Confer. Wood in: *Vergleichung des alten und gegenwärtigen Zustandes der Landschafft von Troia*, *in den Zusätzen und Verbesserungen zum angeführten Buche* p. 97.

drare possit. Conf. Wood l. c. *Mare* quoque *Icarium* interdum memorat poeta, v. c. Il. β. 145.

§. CXII.

INSVLAE.

I. INSVLAE MARIS AEGAEI, QVARVM MEMINIT HOMERVS, ASIAE PROPIORES.

Samus, Σαμος, quae postea *Samothracia* appellari coepit *a*), Hebri ostiis obiecta est. Eam Homerus nunc adiectiuo, Θρηϊκιην eam dicens Il. ν. 12. 13, nunc finitimarum insularum adiunctione, Il. ω. 78. 753. satis distinxit a Cephallenia, quam haud raro *Sami* nomine significat (§. LXII.). *Samothraciae* montium nominatim appellat nullum, eos tamen satis innuit Il. ν. 12-18. Insula haecce ab ipsis praealtis montibus dicta videtur; (σαμοι enim *sublimitates* dicuntur.) Namque inde

— — — — ἐφαινετο πασα μεν Ἰδη,

Φαινετο δε Πριαμοιο πολις και νηες Ἀχαιων.

Alii nominis originem deducere malunt a Saiis, Σαιοις, e stirpe Thracica oriundis, insulam olim incolentibus. Incertum tamen est vtrum hi iidem sint cum Sapaeis s. Sintis (ab Homero Sinties appellantur) an non. Strabo l. X. p. 522. Plura de origine nominis, de primis cultoribus, deque mysteriorum in hac insula auctore occurrunt apud Diodor. V. 47. (hod. Samondrachi.)

Imbrus, Ἰμβρος, παιπαλοεσσα, *aspera*, Il. ν. 33. ω. 78. Tenedo, Lemno et Samothraciae vicina. Il. ν. 33. ξ. 281. ω. 78. Ἰμβρου ἀστυ Il. ξ 281. ipsa est insula Imbrus. Paruae enim insulae saepius appellantur a poetis ἀστυ, πολις, et πτολιεθρον, quoniam plerumque non nisi vnam habebant vrbem, eamque insulae cognominem.

Lemnum,

a) Conf. Virgilius Aeneid. lib. VII. 208.

Lemnum, Λημνον, Vulcani cultu celebratam atque apud ipſum poetam noſtrum ſubterraneis ignibus notabilem, Od. ϑ. 284. 287. nunc ſimpliciter Homerus commemorat, nunc verborum ambage *a*). Dicitur ἀμιχϑαλοεσσα, *importuoſa* et *inhoſpitalis*. Il. ω. 753. Inſulani *Sinties*, Σιντιες *b*), appellantur, iique ἀγριοφωνοι *c*) *barbari voce*. Poſtea Sinties dicti ſunt Sapaei et Sinti, referente Strabone l. X. p. 522. Finitima erat Lemnus Imbro et Samothraciae. Il. ω. 753.

Tenedos, Τενεδος, Il. α. 38. λ. 624. ν. 33. Od. γ. 159, in qua Apollinis Sminthei templum. Il. α. 38.

Pſyria, Ψυριη. Recte Homerus eos ad ſiniſtram inſulam Chium habere dicit, qui e Lesbo profecti Pſyriam petunt. Od. γ. 169-171.

Leſbus, Λεσβος. Od. γ. 169. ἐϋκτιμενη, δ. 342. ρ. 133. divitiis, Il. ω. 544. et formoſis mulieribus, Il. ι. 128. ſeqq. celeberrima. Fuiſſe, qui Lesbum ab Ida monte abruptam crederent, monuiſſe ſufficiat. (hod. Mytilene ſ. Metelin).

Chius, Χιος, aſpera. Od. γ. 170. 172. (hod. Chio ſ. Scio.)

Quae

a) Λημνος. Il. α. 593. β. 722 η. 467. ϑ. 230. cet. γαια Λημνου. Od. ϑ. 301. Λημνος πολις. Il. ξ. 230. Λημνου ἀσυ. Il. ξ. 281. Λημνος, ἐϋκτιμενον πτολιεϑρον. Od. ϑ. 283. Vid. ſupra *Imbrus* Interpretarer ſane nonnulla illorum locorum de Lemno quadam vrbe, niſi Plinius, Schol. Apollon. I. 604. aliique diſerte traderent, Lemnum duas habere vrbes, Hephaeſtiam et Myrinam. Sed quid impedit, quo minus olim extitiſſe vrbem, inſulae cognominem, ſtatuamus?

b) Schol. ad Il. α. 594. Σιντιες, οἱ Λημνιοι, ἀπο του σινεσϑαι και βλαπτειν, ὀντες πειραται. ἡ ὁτι δοκουσιν αὐτοι πρωτοι ἐπινενοηκεναι τα προς πολεμον ὁπλα. ταυτα γαρ ὁμολογουμενως βλαπτει. Adde Euſtath. p. 299. Polit.

c) h. e. λῃστρικοι, και δια τουτο ἀγρια λαλειν ἐπιτηδες εἰϑισμενοι. Schol.

Quae fequuntur infulae, *Calydnae*, *Cos*, *Nifyrus*, *Crapatus* et *Cafus*, Iliacis temporibus, tefte Homero Il. *β*. 676. 677. Phidippo et Antipho fuberant. De fingulis nunc videamus.

Calydnae, Καλυδναι. Il. *β*. 677. *Calydnarum* nomine non nifi vnam infulam ab Homero fignificari, eamque plurali numero, vti Thebas, Athenas, efferri Scepfius autumat, tefte Strabone l. X. p. 554. Alii Homerum duas infulas innuere putant, Lerum et Calymnam, alii denique omnes Sporades intelligunt. At Strabo l. c. εἰκος τ' ὡς ἐκ των Νισυριων λεγεται, inquit, και Κασιων αἱ ἐγγυς και ὑπηκοοι, οὑτως και τας τῃ Καλυμνῃ περικειμενας, ἰδιως τοτε λεγομενῃ Καλυδνῃ, *probabile autem eft, ficut a Nifyro et Cafo vicinae iisque fubditae infulae nomen habent, ita etiam eas, quae circa Calymnam funt, ab ea effe denominatas, tum Calydnae nomen gerente.*

Cos, Κῶς. Il. *β*. 677. Κόως. Il. *ξ*. 255. ο. 28. Primo loco Cos dicitur Eurypyli vrbs; erat enim Eurypylus, Coorum rex; Apollod l. II. c. 7. §. 1. p. 149. pofterioribus autem locis εὐ ναιομενη appellatur. (hod. Stanchio f. Stingo.)

Nifyrus, Νισυρος. Il. *β*. 676. Infula eft parua, Cnido fere oppofita, et Porphyris olim appellata, fi habenda eft fides Plinio H. N. V. 31. *Nifyrus* noftra, quae non confundi debet cum Nifyro, Carpathii oppido, a Co iufula abrupta creditur. Conf. Strabo l. X. p. 555.

Hae tres infulae in mari Icario fitae funt. Reliquae, quae Phidippo et Antipho fuberant, Sporadibus annumerantur. Sitae tamen funt in Carpathio mari.

Crapathus, Κραπαθος, Il. *β*. 676. poftea Carpathus dicta.

Cafus, Κασος. Il. *β* 676.

In Icario mari fita erat

Syme, Συμη, Homero Il. *β*. 671. memorata, cui olim Nireus imperabat.

Reftat,

Reſtat, vt de *Rhodo* exponam, de qua inſula vid. Homerus Il. β. 653-671. Strabo l. XIV. p. 749-753. Euſtathius p. 670-677. Ea iam Homeri aetate *Rhodus*, Ῥόδος, dicta eſt, quod ipſum nomen interdum apud poetam noſtrum occurrit. At *Rhodus vrbs* non ante belli Peloponneſiaci tempora condita eſt. Troiani belli tempore *Rhodii* inſulam habitabant διατριχὰ κοσμηθέντες, Il. β. 655, ſeu τριχθὰ ᾤκηθεν καταφυλαδὸν, Il. σ, 668, *Lindum*, *Ialyſſum* et *Camirum argilloſam*, quorum locorum ciues poſtmodum in vnam vrbem coaluerunt, quae ab inſulae nomine *Rhodus* vocabatur. *Lindi* natus eſt Chares, Coloſſi fabricator. Vid. Strabo l. XIV. p. 750. Sunt, qui Cercaphi et Cydippae filios tria illa oppida condidiſſe affirment; alii condita ea eſſe putant a Tlepolemo, quem ea a nonnullis Danai filiabus appellaſſe dicunt. Ceterum *Rhodios* Homerus praedicat populum diuitiis potentem. Il. β. 668-670. Non deſunt tamen, qui locum hunc fabulae accomodent, quam fabulam narrat Strabo l. XIV. p. 752. (hod. Rodhis ſ. Rodos.)

2. INSVLA IN MARI MEDITERRANEO HOMERO MEMORATA.

In mari mediterraneo ſita eſt

Cyprus, Κύπρος, cuius meminit Homerus Il. λ. 21. Od. δ. 83. θ. 362. Poſterioribus locis memoratur et

Paphus, Πάφος, Cypri vrbs, Veneri ſacra.

Tameſen, quam poeta Od. α. 184. commemorat, et aere abundare dicit, non de Tamaſſo Cypri intelligi debere, ſupra §. VIII. monuimus.

TROADIS DESCRIPTIO *a*).

§. CXIII.

TROADIS FINES; INCOLARVM NOMEN.

Troadis nomine, qualis ea depingitur ab Homero, significatur omnis ea regio, quae inde ab Aesepo aut Tarsio flumine vsque ad Caicum flumen procurrit, in nouem minores diuisa ditiones, (Strabo l. XIII. p. 677. 678.) quas tamen omnes Priami potestati fuisse subiectas, Achillis verba Il. ω. 543-545. probant et testantur Cui regioni, quamquam ea, vt tum tempora erant, fatis frequens felixque erat, famaque vigebat, maximam bello troiano inductam esse vastitatem, nemo nescit. — Incolas huius regionis, et quicunque ad defendendum Ilium Troianis ex reliqua Asia auxilio venerant, communiter Troianos dicit Homerus. Quod nomen cum hoc sensu sexcenties in Iliade occurrat, insignem illum locum, qui Il. δ. 437. 438. exstat, commemorasse sufficiat, ne prorsus omni exemplo destituta legatur illa obseruatio. Interdum tamen *Troiani proprie sic dicti*, h. e. ii, qui Troiam, et finitimam huic regionem tenebant, et quos Hector ducebat intelligi debent; (§. CXXI.) v. c. Il. β. 815. 816. nisi adeo Homerus priori loco, in quo Troianis auxiliares oppositi sunt, totius Troadis incolas significat.

§. CXIV.

TROADIS DIVISIO.

Missa diuersa *Τρωων* nominis significatione, de Homerica Troadis diuisione in nouem ditiones accuratiori singularum ditionum descriptioni pauca praemittam. Incipio ab ea ditione, quae ad

a) Conf. Wood in *Vergleichung des alten und gegenwaertigen Zustandes der Landschaft von Troia* in den Zusätzen und Verbesserungen zum angeführten Buche.

ad feptentrionem fpectat. Ad hanc, cui Pandarus imperabat, praeter Zeleam vrbem, et vicinam huic regionem, nihil pertinuiffe videtur. Il. β. 824 - 827. (§. CXVII. Sequitur ditio ab Aefepo ad Arisbam, in duas diuifa partes, quarum alteri Adraftus et Amphius, Meropis filii. Il. β. 828 - 834. (§. CXVIII.) alteri Afius, Il. β. 835 - 839. (§. CXIX.) praeerat. Poft hanc eft Aeneae ditio, Dardania, Il. β. 821 - 823. (§. CXX.) cui adiacet ea, quae paruit Hectori. Il. β. 816 - 818. (§. CXXI.) Sextam Troadis ditionem tenebant Leleges fub Alta, Il. φ. 86 87. (§. CXXII.) quibus contermina erat Cilicia, in tres ditiones diuifa, (§. CXXIII.) in Thebaicam, a Thebe vrbe fic dictam, (§. CXXIV.) Lyrneffiam, a Lyrneffo vrbe appellatam (§. CXXV.) et Eurypyleam. Od. λ. 518 - 520. (CXXVI).

§. CXV.

TROADIS MONS: IDA.

Idae a) frequens apud Homerum mentio. Ab hoc monte fluvios haud paucos in mare profluere, et ea loca declarant, in quibus Idam Vates πολυπίδακα, *fontibus irriguam*, appellat, et ipfa fluuiorum, ab hoc monte profluentium, recenfio, quam dedit poeta Il. μ. 18 - 22. Tria Idam facere promontoria, Lectum, Gargarum, Phalarcen, obuia res eft. *Gargarum*, Γαργαρον *b*), ipfe Homerus commemorat, eumque fummum Idae altae verticem

a) Epitheta Idae ab Homero multa addita video, quorum tamen nudam dare recenfionem fufficiat. Explicatione enim indigent nulla. Ida autem dicitur ὑψηλη, Il ξ. 293. πολυπτυχος, *multas convalles habens*; (Conf. Strabo l. XIII.) Il. χ. 171. fyluofa. Il. φ. 559. ψ 117. *μητηρ θηρων*, Il. θ. 47. ξ. 283. ο. 151. et πολυπιδαξ, *fontibus irrigua*. Il. θ. 47. ξ. 283 ο. 151. ψ. 117.

b) Strabo lib. XIII. p. 679. Gargarum appellat ἀκρουτερον Idae, quam vocem prauam effe puto. Legendum videtur ἀκρωτηριον.

cem ἄκρον Ἴδης, ὑψηλῆς, Il. ξ. 292. 293. ϑ. 47. 48. appellat. Nudum *Gargari* nomen et Il. ο. 152. legitur. *Lectum*, Λεκτον, quoque, Idae alterum promontorium, non commemorat solum Homerus, sed eti m in mare Aegaeum exire declarat eo loco, quo de Iunonis et Somni a Tenedo in Lesbum nauigatione verba facit. Il. ξ. 283- 285.

§. CXVI.

TROADIS FLVMINA.

Simois et *Scamander*, qui et *Xanthus* Homero dicitur *a*), praecipui habendi sunt Troadis fluuii. *Scamander* poetae μεγας ποταμος βαθυδινης dicitur Il. υ. 73. 74. *Fontes* eius *duo* commemorat Vates prope Troiae murum, quorum alterum calidam aquam habere affirmat, alterum frigidam; quem tamen non nisi aestiuo tempore profluere tradit ex aqua frigore concreta. Il. χ. 145-152. Ad quem Homeri locum Strabo lib. XIII. p. 698. 699. coll. lib. I. p. 54. notat, Scamandrum non nisi ex vno fonte, qui est in Cotylo, Idae montis colle, oriri, aquas autem calidas ibi esse nullas. Has defecisse putat; frigidum vero Scamandri fontem appellari potuisse iudicat, vel, quoniam ex ipso Scamandro per alueum subterraneum effluens, illic emergat, vel quoniam fluuio sit finitimus. Praecipui fontes vtriusque fluuii, Simoentis, inquam, et Scamandri, in Ida deprehenduntur, a qua, vti alios fluuios, ita hos quoque defluere auctor est ipse Homerus Il. μ. 20-22. Plinii errorem H. N. XXXI. 6. notarunt ad Il. χ. 149. Clarissima Daceria, aliique. *Homerum*, inquit Plinius, *calidorum fontium mentionem non fecisse demiror, cum alioquin lauari calida frequenter induceret: videlicet, quia medicina tunc non erat haec, quae nunc aquarum perfugio vtitur.*

Si-

a) Vtriusque fluminis frequens apud Homerum mentio, *Simoëntis*, Il. ε. 774. 777. ζ. 4. υ. 53. *Scamandri*, Il. ε. 774. φ. 124. *Xanthi* nomen Il. ζ. 4. φ. 2. 15. 146. occurrit.

Simoenta et *Scamandrum* confluere prope Troiam tradit Homerus Il. ε. 774. Amoena inter hos fluuios planities, (Homerus eam Il. β. 467. λειμωνα ἀνθεμοεντα appellat) *Troicus* eſt *campus*, poetae ſaepius memoratus *b*), quo in campo pleraque proelia, ab Homero in Iliade decantata, commiſſa ſunt.

In campo Iliaco *collis* erat *editus*, quem, vti narrat Homerus, *Batieam*, Βατιειαν, homines, Dii vero Myrinnes ſepulcrum (Strabo l. XII. p. 668.) appellant. Il. β. 811-814. Quem tumulum vtrum diuerſum faciam a colle illo prope Simoenta, qui poetae noſtro nunc *Callicolone*, Καλλικολωνη, Il. υ. 53. 151. (Conf. Strabo l. XIII. p. 694. et Euſtath. p. 1195.), nunc ſimpliciter θρωσμος πεδιοιο, *locus editus campi*, Il. υ. 3. dicitur, an non? non eſt, quod dubius haeream. Diuerſi omnino ſunt iſti colles; *Callicollonae* enim Simoenta finitimum tradit Homerus Il. υ. 53., *Batieam* vero vndiquaque circumuiam dicit *c*).

Ad Scamandri oſtia Straboni (l. XIII. p. 596 D. 598. D. Caſaub.) fuiſſe dicuntur *Achaeorum portus*, *nauium ſtatio*, *et caſtra Graecorum*, quorum copioſam et accurratam deſcriptionem habes apud Homerum Il. μ.

Rheſus, *Heptaporus*, *Careſus*, *Rhodius*, *Granicus* et *Aeſepus* cuius et Il β. 825. δ 91 mentio fit, reliqua ſunt flumina, quae ab Ida profluere diſerte pronunciauit Vates Il. μ. 20. 21. De iis conf. Strabo l. XIII. p. 698. 699. Alio loco, nimirum l. XII p. 649. ea flumina riuulos appellat. Troadis fluuios, quorum apud Homerum nomina occurrunt, ſupereſſe tradit, l. XIII, p. 679. Plinius vero eorum pleroſque ſuo aeuo veſtigia non habere

b) Hicce Troianorum campus nunc diſerte ab Homero appellatur Τρωων πεδιον, Il. ο. 739 nunc Σκαμανδριον πεδιον, Il β. 465. nunc λειμων Σκαμανδριος, Il β. 467. nunc verborum ambage πεδιον μεσσηγυς Σιμοεντος ἰδε Ξανθοιο ῥοαων. Il. ζ. init. Simpliciter πεδιον Il. β. 812. υ. 3. dicitur.

c) περιδρομος ἐνθα και ἐνθα. Il. β. 812.

bere contendit H. N. l. V. cap. 30. *Rhodium* Strabo collocat inter Abydum et Dardaniam. Demetrium porro *Rhesum* flumen non diuersum esse iudicasse ab eo, quem insequutae aetatis scriptores 'Ροείτην appellant, Strabo nos docet, qui addit, *Rhesum* exiguum esse flumen, quod in *Granicum* exeat. Vid. Strabo l. XIII. p. 699. Ipse autem *Granicus*, eodem teste l. XIII. p. 683, inter Aesepum et Priapum fluit. *Heptaporus* alias Polyporus dicitur. Vid. Strabo l. c. *Aesepum* denique profundum fuisse ex epitheto, quod ipsi Homerus Il. β. 825. tribuit, facile perspicitur.

De *Selleente*, *Practio* et *Satnioente*, in ipsa singularum Troadis regionum descriptione exponam.

SINGVLARVM TROADIS DITIONVM DESCRIPTIO.

§. CXVII.

A. DITIO EORVM, QVOS DVCEBAT PANDARVS.

Il. β 824 - 827. Strabo lib. XIII. p. 683.

INCOLARVM NOMINA; FLVVIVS; VRBS.

Venio nunc ad depingendas singulas Troadis ditiones, incipiens ab Aesepi confiniis, quae Pandaro suberant. Cuius ditionis incolas Homerus appellat *Troianos*, Il. β 826. Lycios, Il. ε. 424. 425. 485. 486. (quos caue confundas cum Lyciis Cariae finitimis, §. CXXXVII.) et, ex sententia quorundam, *Aphneos*, 'Αφνειούς, (vox et diuites denotat) Il. β. 825. *Zeleae* enim, cuius ciues 'Αφνειοὶ et Τρῶες dicuntur Homero Il. β. 824-826. meminisse mihi videtur poeta pro omni Pandari ditione. Qui vocabulum 'Αφνειοὶ nomen esse proprium iudicant, 'Αφνειούς ab Aphnitide lacu, qui fuit in Pandari ditione, appellatos esse credunt; et, licet,

cet non habeant, quo sententiam suam confirment, mihi tamen in mentem venit argumentum, quod in re incerta saltem reiici non debeat. Sensum enim hunc in modum constitui posse video: Pandarus praeerat Aphneis qui Zeleam (quo nomine omnis intelligenda videtur Pandari ditio) h. e. regionem Troadis sub pedem imum Idae habitabant; iidem Troiani sunt ii, qui Aesepi confinia tenent. Incoluerunt autem Pandaro subiecti, quocunque demum nomine appellati sint, regionem, quae est inter Tarsium flumen et Aesepum. Il. β. 824-826.

Fluuius: Aesepus, Αἴσηπος. Conf. §. CXVI. Non recte monet Strabo, Homerum Aesepum Troadis initium facere, Mysorum finem, quandoquidem *Zelea* ad Tarsium flumen sita erat.

Vrbs: Zelea, Ζέλεια. Il. β. 824. δ. 103. 121. Sita erat, teste Homero in Catalogo Nauium, sub Idae radices, et quidem, id quod addit Strabo, eo loco, vbi Ida in septentrionem vergit ad Tarsium fluuium.

§. CXVIII.

B. DITIO ADRASTI ET AMPHII.

Il. β. 828-834. Strabo lib. XIII. p. 683-686.

FINES; MONS; VRBES.

Excipit Pandari ditionem ea, cui Adrastus et Amphius imperabant, versus orientem Aesepo terminata. Occasum versus vsque ad Parium pertinuisse videtur. Quae enim Adrasto et Amphio paruerunt loca, circa Abydum, Lampsacum et Parium sita fuisse, Strabo testatur l. c. p. 686.

Mons: Terea, Τηρείη, ὄρος αἰπύ.

Vrbes: Adrastea, Ἀδρήστεια. Sita erat, referente Strabone, inter Priapum et Parium, qui locus ab Homero Percote (§. CXIX.), appellatur.

Apaesus, 'Απαισος, siue δημος 'Απαισου, *ciuitas Apaesi*, Homero Il. ε. 612. *Paesus*, Παισος, dicta, inter Lampsacum et Parium erat. *Paeso* seu *Apaeso* diruta ciues Lampsacum commigrarunt. Strabo l. c.

Pityea, Πιτυεια, cuius non nisi nomen in Homeri Catalogo occurrit, sita fuit inter Priapum et Parium. De nominis etymologia egerunt Eusťath. ad Il. β. 829. et Schol. Apollon. I. 932. Ceterum omnia nomina, quae commemorat Homerus in ditione Adrasti et Amphii, praeterita sunt a D'Anuillio in tabula Asiae minoris.

§. CXIX.

C. ASII DITIO.

Il. β. 835-839. Strabo lib. XIII. p. 686-688.

FLVVII; VRBES.

Fluuii: *Selleis*, Σελληΐς, cuius et Il. μ. 97. facta est mentio. *Selleis* fluuius ille exiguus in mappa Asiae minoris D'Anuilliana sit necesse est, cui adiacet *Arisba*. Conf. Il. μ. 96. 97.

Practius, Πρακτιος. Vide *Practium* vrbem.

Vrbes: *Arisba*, 'Αρισβη, Il. β. 836. 838. Φ. 43. ἐϋκτιμενη, Il. ζ. 13. ad Selleentem sita, Il. μ. 96. 97. Asii regia erat. Il. β. 838. 839. Vrbs cognominis in Lesbo erat.

Percote, Περκωτη, cuius et Il. ο. 548. mentio fit, postea Parium appellata est. Eadem Περκωπη dicitur Il. λ. 229. Περκωτη corrupta videtur esse lectio; Περκωπη enim antiquius fuit vrbis nomen, si fides habenda Stephano. Ille enim Περκωτη, inquit, και παλαι Περκωπη, πολις Τρωαδος. Eustathius *Percopen* diuersam facit a *Percote*.

Sestus, Σηστος. Egimus iam supra de hoc oppido, et quidem §. CVII. p. 123.

Practium, Πρακτιον. Vrbs sane habenda est in Homero nostro loco cit. Strabo fluuium intelligit l. XIII. p. 686, eo nisus ar-

argumento, quoniam nulla inueniebatur sua aetate *Practium* vrbs. Inde tamen non efficitur, nullam fuisse Iliacis temporibus eius nominis vrbem.

§. CXX.

D. AENEAE DITIO.

Il. β. 821-823. Strabo lib. XIII. p. 688. seqq.

FINES; DITIONIS EIVSQVE INCOLARVM NOMINA; VRBS.

Excipit Asii ditionem ea, cui imperabat Aeneas. Diffundebatur ea meridiem versus vsque ad ea loca, quae sunt circa Scepsin, versus septentrionem vero vsque ad Lycios, Pandaro subiectos. (§. CXVII.) *Dardania* appellatur haecce ditio ab vrbe *Dardania*; (Conf Strabo l. XIII. p. 693.) eiusque incolae Δαρδανιοι, Il, β. 891. et Δαρδανοι. Il. ο. 425. dicuntur.

Vrbs: *Dardania*, Δαρδανια, Ilio vetustior, et a Dardano condita est, teste Homero Il. υ. 215-217. Cuius licet sua aetate nullum vestigium superfuisse Strabo tradat, eam tamen XXX. stadiis ab Ilio absuisse affirmat.

§. CXXI.

E. DITIO HECTORIS.

Il. β. 816-818. Strabo lib. XIII. 693-698.

FINES; THYMBRA CAMPVS; ERINEVS; VRBS.

Infra Dardaniam fuit Hectoris ditio, quae patuit referente Demetrio apud Strabonem ἀπο του ναυςαθμου μεχρι Κεβρηνιας, *a statione nauium* (h. e. a Scamandro flumine) *vsque ad Cebreniam*. Strabo l. XIII. p. 693. Qui eam tenebant, Hectorem sequuti, strictissimo sensu *Troes* Homero dicuntur, v. c. Il. β. 816. Conf. §. CXIII.

S 2 *Thymbra*

Thymbra, Θυμβρη, Il. κ. 430. planities fuit in ditione Hectoris, Thymbrio fluuio irrigata, qui in Scamandrum se immittit; Apollinis templo celebris. Hinc Apollo Thymbraeus dicitur Virgilio Georg. IV. 323, Aen. III. 85.

Erineus, Ἐρινεος, Il. ζ. 433, locus asper, (τραχυς τοπος) caprificis confitus, (a quibus etiam appellatus est) sub antiquum Ilium. Conf. Strabo l. XIII. p. 694.

Fagum (Φηγον) illam, cuius meminit Homerus Il. ι. 354. quaeque paullo inferior erat *Erineo*, saltem commemorare volebam.

Vrbs: *Ilium*, Ἰλιος, eaque ἱρη, Il. η. 20. ἠνεμοεσσα h. e. *alta*, Il. γ. 305., quae et sexcenties Homero *Troia*, Τρωΐη a) dicitur, acropolin habuit *Pergama*, Περγαμα, Homero ἡ Περγαμος eaque ἱερη dicta, quoniam habuit templum Apollinis. Il. δ. 508. ε. 446. η. 21. Ipsam *Troiam* paullo remotam fuisse a mari ex Od. α. 210. intelligitur. Refutanda est omnino recentioris Ilii ciuium sententia, qui *antiquam Troiam* nunquam funditus fuisse deletam contenderunt. Tollit eam et infirmat ipse Homerus Il. ζ. 448. 449. et eo loco, in quo Troiam decimo obsidionis anno euersam esse tradit. Conf. Strabo l. XIII. p. 697. Nec admittendum est, quod aliis placuit, nimirum *Troiam Homericam* non diuersam esse ab Ilio recentiori. Etenim, vt ad refutandam hanc sententiam pauca tantum argumenta excitem, tumulus Callicolene et Thymbra campus, quos haud longe ab antiqua Troia fuisse ex Il. υ. 51-53. et κ. 430. 431. abunde cognoscitur, a recentiori Ilio XL et L stadiorum interuallo aberant. Plura argumenta, quae ad hoc pro-

a) Item verborum ambage Πριαμοιο μελαθρον, Il. β. 414. Πριαμοιο πολις, Il α. 19. β. 37. μ. 15. Od. λ. 532. Πριαμοιο πολις αἰπη, Od. γ. 316. πολις Τρωων, Il. β. 12. 13. 29. 30. Τρωων εὖ ναιομενον πτολιεθρον, Il. α. 164. Ἰλιον εὐτειχεον, Il. β. 113. 288. Ἰλιου πολις Il. ε. 642. Troiae magnitudinem indicat Homerus Il. β. 12. 13. 29. 30. 141. cet.

probandum faciunt, ex Homeri carminibus collegit Strabo l. XIII. p. 494-496. e quibus solis luce clarius apparet, *Troiam antiquiorem* ab *Ilio recentiori* XXX fere stadiis orientem versus absuisse.

§. CXXII.

F. DITIO LELEGVM, QVIBVS IMPERABAT ALTES, PRIAMI SOCER.

Il. φ. 86. 87. Strabo lib. XIII. p. 702. 706. 707.

PROMONTORIVM; FLVVIVS; VRBS.

Troianis sub Hectore subiungo Leleges, inter Aeneae ditionem et Cilices Homericos (§. CXXIII.) ponendos. Non confundendi aut potius non pro vno populo habendi sunt *Leleges* et *Cares*, vti quosdam fecisse Strabo l. XIII. p. 707. testatur, alterum populum ab altero distinguendum esse docet Homerus Il. κ. 428. 429 *a*).

Altae regioni annumerandum videtur *Lectum*, Λεκτον, Troadis promontorium, de quo vide §. CXV.

Fluuius: Satniois, Σατνιοεις, Il. ζ. 34. ξ. 445. φ. 87. quem insequuta aetate Σαφνιοεντα appellarunt.

Vrbs: *Pedasus*, Πηδασος, eaque αἰπεινη vel αἰπηεσσα, prope Satnioentem sita memoratur ipsi Homero Il. ζ. 34. 35. φ. 87. Euertit

a) Quaerentibus, cur non vtrumque populum in Catalogo Nauium commemoret Homerus, satis respondet Strabo l. XIII p. 716. In primis huc pertinent sequentia: τοιαυτης δε της προς Τρωας οἰκειοτητος ὑπαρχουσης τοις τε Λελεξι, και τοις Κιλιξι, ζητουσιν αἰτιαν, δι' ἡν οὐ συγκαταλεγονται και οὑτοι ἐν τῳ καταλογῳ. Ἐικος δε δια την των ἡγεμονων διαφθοραν, και την των πολεων ἐκπορθησιν ὀλιγους ὑπολειφθεντας τοις Κιλιξι, ὑπο τῳ Ἑκτορι ταττεσθαι, *ceterum cum tanta fuerit Lelegum et Cilicum cum Troianis familiaritas; caussa quaeritur, cur non hi quoque in Catalogo recenseantur. Probabile est, interfectis ducibus oppidisque euastatis, paucos quosdam superstites Cilices sub Hectore militasse.*

tit eam Achilles. Il. υ. 92. *Pedasi* quoque Il. ν. 172. mentio fit; Scholiastae enim non admittunt vulgarem lectionem Πηδαιον, quam tuetur Eustathius. Πηδαιον γαρ, inquit ad Il. ν. 172. p. 926. τοπος οὐκ ἐπισημος, *Pedaeum locus est non insignis.*

§. CXXIII.

G. DITIO CILICVM.

GENERALIS CILICVM DIVISIO.

Cilicia Homerica in *tres* diuisa est *ditiones*, in *Thebaicam*, quae sub Eetionis potestate erat; (§. CXXIV.) in *Lyrnessiam*, cui Mynes imperabat; (§. CXXV.) et in *Eurypyleam*. (§. CXXVI.) Loca enim Caico flumini finitima, quae parebant Eurypylo, ad Ciliciam pertinuisse videntur.

§. CXXIV.

1. EETIONIS DITIO, SEV CILICES THEBAICI.

Conf. Strabo l. XIII. p. 708-710.

MONS; VRBES.

Mons: Placus, Πλακος. Il. ζ. 396. 397. χ. 479. Vid. *Thebe.*

Vrbs: Thebe, Θηβη, quae dicitur Homero πολις seu πτολις Ἠετιωνος, Il. α. 366. ι. 288. ὑποπλακιη, Il. ζ. 397. Sita enim erat sub Placo monte. Il. ζ. 396. χ. 479. *a*). At Strabo l. XIII. p. 710. affirmat, prope *Theben* nec *Placum* aut *Placem* montem esse, nec syluam Thebae imminere, etsi sita sit ad Idam *b*), vt nouo exemplo comprobet, quasdam regiones maximis multorum annorum decursu obnoxias fuisse mutationibus. Appellatur etiam nostra vrbs πολις Κιλικων εὖ ναιεταωσα et ὑψιπυλος, Il. ζ. 415. 416.

a) Lege: ὑπο Πλακῳ; scriptum vulgo: Ὑποπλακῳ.

b) οὔτε δε Πλακος ἢ Πλαξ ἐκει τι λεγεται, οὐδ᾽ ὑλη ὑπερκειται, καιτοι προς τῃ Ἰδῃ.

416. quorum epithetorum posterius ad vrbis murum manifesto referendum est, quo cinctam fuisse Theben ex Il. β. 691. apparet. Euertit eam Achilles.

Hypoplacus, Ὑποπλακος, locus sub Placo monte fuisse videtur, Homero Il. ζ. 425. memoratus, qui et *Placia* et *Hypoplacia* dictus est a situ sub monte Placo. Vid. Eustath. in l. et Plin. H. N. V. 32. Conf. *Thebe* pag. 142.

Chrysa, Χρυσα, quae ad Eetionis ditionem pertinuit; Chryseis enim capta est Thebae. Il. α. 366-369. Chrysae erat templum Apollinis, quod templum aeque ac oppidum ad mare ponere videtur Homerus Il. α. 37-39. 437. seqq. Adde, quod Chrysae portum innuit Il. α. 431. 432. Deserta erat Chrysa Strabonis aetate. Strabo l. XIII. p. 709.

Cilla, Κιλλα, sacra Apollini. Il. α. 38. c). Dicta perhibetur a Cillo, Pelopis auriga. Conf. Eustath. ad Il. α. 38.

§. CXXV.

5. MYNETIS DITIO.

VRBS.

In Mynetis ditione memoratur Homero non nisi *Lyrnessus*, Λυρνησσος, vrbs, quae et verborum ambage Μυνητος πολις, dicitur Il. τ. 296. Euertit eam Achilles, referente Homero Il. β. 691. τ. 295. 296. υ. 92. 191. *Lyrnessum* natura fuisse munitam, docet nos Strabo l. XIII. p. 708.

c) *Chrysa* et *Cilla* a D'Anvillio in tab. geogr. praeteritae.

§. CXXVI.

§. CXXVI.

3. EVRYPYLI DITIO. Od. λ. 518-520.

Qui tempore belli troiani Eurypylo suberant, *Cetei a)*, Κητειοι, appellantur ab Homero Od. λ. 520. Qui poetae locus cum sit omnium fere vexatissimus, in re incerta certi aliquid constituere mihi non arrogo. Arridet mihi eorum maxime sententia, qui Κητειων nomine eos Troadis populos indicari putant, qui postea Ἐλεαται dicti sunt. Hi vero Mysiae regionem circa Caicum flumen incoluerunt; quae quidem regio tum temporis ad Troadem pertinuisse videtur. Strabonis de Κητειοις locus inprimis dignus est, quem transscribam. Eius autem verba l. XIII. p. 712. sic habent: ὅτι ἐν τοις περι τον Καϊκον τοποις φαινεται βεβασιλευκως καθ' Ὁμηρον ὁ Ἐυρυπυλος. ὡς' ισως και των Κιλικων μερος τι ἦν ὑπ' αὐτῳ, και οὐ δυο δυνασειαι μονον, ἀλλα και τρεις ὑπερξαν ἐν αὐτοις. τῳ δε λογῳ τουτῳ συνηγορει το ἐν τῃ Ἐλαϊτιδι χειμαρρωδες ποταμιον δεικνυσθαι Κητιον. ἐμπιπτει δε οὑτος εἰς αλλον ὁμοιον, εἰτ' ἀλλον. κατασρεφουσι εἰς τον Καϊκον, *circa loca vicina Caico apparet fuisse regnum Eurypyli, vt fortasse aliqua etiam Cilicum pars ei paruerit, iique non in duas sed in tres fuerint diuisi praefecturas. Huic rationi id fauet, quod in Elaitide torrent paene amnem aequans monstratur, nomine Ceteium; is in alium, hic rursus in alium talem illabitur: denique Caicum augent suo influxu.*

§. CXXVII.

DE Ἀριμοις. Il. β. 783.

Hactenus de Cilicibus. Excipiat eos breuis disquisitio de Ἀριμοις, Il. β. 783. memoratis, in quorum terra Typhoeum ponit Homerus, a Ioue trucidatum. Mirum in modum variatur fabula de Typhoeo. Quapropter etiam tantum abest, vt de loco

a) κητειος proprie denotat id, quod ad monstra marina pertinet; inde metaphorice omne id, quod magnum est. Ad homines translatum significat *fortem*. Alii legunt κηδειοι h. e. κηδεσαι, συγγενεις, *cognati*, vel omnino pro κηδεσοι.

loco conueniant veteres, in quo trucidatus perhibetur Typhon, vt potius in illo constituendo mire eorum discrepent sententiae. Plerique tamen eos probant, qui gigantem nostrum in Cilicia trucidatum ferunt, a Syris olim habitata. Syri autem dicuntur Aramaei, et regio, quam tenebant, Aramaea, ארם. Scepsio, teste Strabone, eorum maxime arridet sententia, qui Arimos in *Catacecaumene*, Κατακεκαυμένη, h. e. combusta Mysia, adeoque prope Cilices Homericos, quaerendos esse iudicarunt. Putauit forte Scepsius, Homerum prouinciam *Catacecaumenen* Il. β. 780-782. innuere; ea enim dicta videtur a subterraneo igne, quo omne solum combustum est. Strabo l. XII. p. 673. Traducta autem est fabula de Typhoeo in alias quoque regiones, in Siciliam, in insulas Pithecusas, rel. Conf. Strabo lib. XIII. p. 723. 724. Heyne V. Cl. ad Apollod. p. 77. seqq. (§. XII.)

§. CXXVIII.

PELASGI, QVI HIPPOTHOO SVBERANT.

Il β. 840-843. Strabo lib. XIII. p. 717.

PELASGORVM SEDES ET VRBS.

Cilicibus finitimi fuerunt *Pelasgi Asiatici*, qui Hippothoo suberant, Il. β. 840-843., et Aeolidem fere stricte sic dictam a Caico fluuio vsque ad Ioniae initium inhabitabant. Quos cum poeta l. c. Φῦλα Πελασγῶν appellat, *tributim* habitasse hunc populum indicat; Strabo tamen illa loquendi formula bonam Pelasgorum multitudinem ab Homero indicari putat. Ceterum occasionem, qua Pelasgi relicta Thessalia in Asiam sese contulerunt, aperit Dionysius Halicarnass. lib. I. (Conf. §. XVI.)

Vrbs: *Larissa*, Λάρισσα. Il. β. 841. Plures memorantur vrbes cognomines, inter se haud confundendae. Nostra accipi debet de ea, quae Cumae finitima erat.

§. CXXIX.

MYSIA.

Myfos, tempore belli troiani aliam prorfus Afiae minoris regionem tenuiffe, quam infequuta aetate, inde facile apparet, quoniam vtraque Myfia fere tota Troadi ab Homero annumeratur. Tum, cum Homerus in Catalogo Nauium Il. β 858-866. et Il. κ. 430. 431. primum *Myfos* nominet, deinde *Phryges* denique *Maeones*, ex hoc ordine, bis eodem modo feruato, colligi poffe autumo, *Myfis* tum temporis finitimos fuiffe *Phryges*, *Phrygibus* vero *Maeones*. Videntur igitur Myfi ea aetate fere regionem ab Aefepo aut Tarfio flumine vsque ad lacum Afcanium incoluiffe; Aefepum enim aut potius Tarfium fluuium limitem fere facit Homerus inter Troadem et Myfiam; (§. CXIII.) quae vero fita eft ad lacum Afcanium regio, a Phrygibus habitabatur. (§. CXXXV.) Haec de Myfiae finibus conici poffunt, et Homero confentanea videntur; ea autem argumentis firmioribus confirmari poffe, negat ipfe Strabo lib. XII. p. 659.

§. CXXX.

PAPHLAGONIA.

Il. β. 851-855. Strabo lib. XII. p. 637-640.

NOMEN; POPVLI.

Paphlagoniae a) nomen in Homeri carminibus non occurrit; *Paphlagones*, Παφλαγόνες vero nonnunquam memorantur, v. c. Il. β. 851. ε. 577. Defcribit Vates in Cat. Nau. non nifi eam totius Paphlagoniae partem, quam tenebant *Heneti*, mulis celeberrimam. *Henetos* primarium quondam e Paphlagonibus populum fuiffe, qui, Troia capta et euerfa, in Thraciam commigrarunt, et deinde vagi et errabundi in *Venetiam* (Ἐνετικὴν Graeci dicunt) peruenerunt, tantum non omnes affirmant. Nonnulli, cum

a) A Pylaemene, Paphlagonum duce, Paphlagonia et Pylaemenia appellata eft Plin. H. N. l. VI. cap. 2.

cum multis ſeculis poſt Enetorum ne veſtigium quidem in Paphlagonia inuenirent, Enetos quoque ibi non quaerendos eſſe temere colligerunt. Quid enim impedit, quo minus in Paphlagonia eos defeciſſe ſtatuamus? Non defuerunt tamen alii, qui *Enetorum* nomine locum maritimum ab Homero indicari putarent, decem Schoenis ab Amaſtri remotum. Zenodotus, ἐξ 'Ενετης ſcribens, eam vrbem intellexit, quae Strabonis aeuo *Amiſus* appellabatur. Fuſius de *Henetis* egit Strabo l. XII. p. 638. 639.

Caucones, Καυκωνες, Homero Il. κ. 429. υ. 326. memoratos, vulgo faciunt Paphlagoniae populum; incertum tamen eſt, vtrum regio, ab ipſis habitata, Paphlagoniae, an Bithyniae, an neutri adſcripta fuerit. (§. XLI.) Calliſthenes, qui vulgarem ſententiam tuebatur, legi adeo iuſſit:

Καυκωνας αὐτ' ἦγε Πολυκλεος υἱος 'αμυμων,
Οἱ περι Παρθενιον ποταμον κλυτα δωματ' ἐναιον

h. e. *Caucones duxit Polyclis filius praeclarus, qui circa Parthenium fluuium* (inclytas domus) *habitabant.*

§. CXXXI.

FLVVIVS; MONS; OPPIDA.

Fluuius: *Parthenius*, Παρθενιος, cuius et accolas Homerus innuit.

Montes: *Erythini*, 'Ερυθινοι, duo tumuli ſeu montes Paphlagoniae, Homero ὑψηλοι, *alti*, dicti. Stephanus vrbem intelligit.

Oppida: *Cytorus*, Κυτορος, oppidum, aliis *Cytorum* dictum, Sinopenſium quondam emporium erat; Homeri tamen aeuo Sinope nondum erat condita. Nomen accepit *Cytorus* a Cytoro, Phryxi filio. *Cytorum*, et quae deinceps nominat Homerus Paphlagoniae oppida,

Sesamum, Σησαμον, nec non

Cromnam, Κρωμναν; item *Teium*, cuius tamen non ipse meminit Homerus, in vnum corpus coire voluit Amastris, Dionysii Heracleae tyranni vxor, hancque vrbem e quatuor oppidis compositam a se *Amastrem* appellauit. *Teium* tamen haud diu in eo corpore mansit; *Sesamus* autem acropolis nouae vrbis erat.

Aegialus, Αἰγιαλος, oppidum in litore Paphlagoniae, quod simpliciter Αἰγιαλος (vox *litus* significat) dicitur, et centum stadiis longius perhibitur. Scholiastes *παντα τον παραθαλασσιον τοπον της* Παφλαγονιας in Homero intelligendum esse iudicat. Nonnulli legerunt Κωβιαλον pro *Αἰγιαλον.*

§. CXXXII.

PONTI REGIONES, HOMERO MEMORATAE EARVMQVE NOMINA ET INCOLAE.

Il. β. 856. 857.

Paphlagonibus in recensione copiarum subiicit Homerus *Halizones*, quos, *τηλοθεν ἐξ* 'Αλυβης, *procul ex Alybe*, ducebant Hodius et Epistrophus. Quaeritur, quaenam Asiae regio *Alybes* nomine significetur? seu, quaenam sit regio, ab *Halizonibus* habitata? Mire sane variant in explicandis his quaestionibus veterum scriptorum sententiae, Callipidis, inquam, Hellanici, Herodoti, Eudoxi, Ephori, Demetrii Scepsii, Hecataei Milesii, Menecratis Elaitae, et Palaephati, a Strabone commemoratae. Eorum autem scriptorum emendationes, et coniecturas, ad explicandum difficiliorem hunc Homeri locum pertinentes, singulas recenset Strabo lib. XII. p. 645. seqq. ad quem lectorem ablegare mihi liceat, praesertim, cum ea, quae refert Strabo, paucis colligi et per compendium transscribi nequeant. Sufficiat nunc, Strabonis de *Alybe* et *Halizonibus* sententiam, quam omnino probandam esse puto, in medium proferre.

Alybe,

Alybe, Ἀλύβη, Ponti regio, quae poftea, mutata fcriptura, Χαλύβη, *Chalybe*, dicta eft. Celebris ea eft argentifodinis, ipfi Homero memoratis. Male Didymus ad Od. ω. 303, *Alyben* non diuerfam facit ab *Alybante*; at vide §. VII. *Alyben* noftram tenuerunt

Halizones, Ἀλιζῶνες, quorum nomine *Chaldaeos* fignificari autumat Strabo, quos antiquitus *Chalybes* denominatos fuiffe affirmat. Putat enim, aut ἐξ Ἀλύβης, vnde *Halizones* venerunt, mutatam effe fcripturam pro ἐκ Χαλύβης, aut, qui poftea *Chalybes* appellati funt, olim *Alybes* fuiffe nominatos. Sequuntur Strabonem Scholiaftes, qui Homeri *Halizones* explicat: ἔθνος του Ποντου, et Euftathius in Dionyf. Perieg p. 101, qui tamen totum Strabonem exfcripfiffe videtur. Conf. et Apollodor. fragm. p. 114. feqq. et Paufan. l. I. p. 31.

Haftenus de *Halizonibus* et de *Alybe* regione, diferte commemorata ab Homero. *Themifcyram*, aliam Ponti regionem, innuit tantum poeta, mentionem faciens

Amazonum, Ἀμαζόνων, Il. γ. 189. ζ. 186, quae ipfi vtroque loco ἀντιάνειραι, *viris aequiparandae*, dicuntur. Vid. Strabo l. XI. p. 578-580. Conf. Heyne ad Virg. Aen. I. 490-493. Adde Petitum de Amazonibus. Amftel 1687. 8.

§. CXXXIII.
MAEONIA, QVAE POSTEA LYDIA.

Il. β. 864-866. coll. υ. 391. 392. Strabo lib. XIII. p. 722-724.

MAEONIA EIVSQVE INCOLARVM NOMINA; ASIVM PRATVM.

Quae poft Homerum Lydiae nomine venit Afiae regio, eam poeta nofter nunquam non appellat *Meoniam*, Μηονίην, et eam qui-

quidem ἐρατεινην, Il. γ. 401. σ. 291, incolas autem *Meones*, Μηονας, Il. β. 864. 866. eosque ἱπποκορυστας, Il. κ. 431. Recentiores ſcriptores dixerunt Μαιονιαν et Μαιονας. *Maeoniam* olim appellatam fuiſſe *Aſiam*, idque nomen Homeri aetate in vſu fuiſſe, Scepſius putat, prouocans ad Il. β 461, cuius argumentum habes apud Strabonem l. XIII. p. 724. In eadem ſententia haeſiſſe videtur Euſtathius ad Il. β. 461. p. 486. 487. (Conf. Politi annot. ad h. l.) et e recentioribus Reimmannus l. c. §. XIV. et CX. Eſt autem apud Homerum *Aſia* ſeu *Aſium pratum* non niſi anguſtus tractus paluſter ad Cayſtrum. Quidam poſt Il. β. 866. ponunt;

Τμωλῳ ὑπο νιφοεντι Ὑδης ἐν πιονι δημῳ,

qui tamen locus merito ſuſpectus et ex Il. υ. 385. translatus Criticis videtur.

§. CXXXIV.

FLVVII; LACVS; MONS; VRBES.

Fluuii: *Hermus*, Ἑρμος: Il. υ. 392. In Hermum ſe immittit

Hyllus, Ὑλλος, isque ἰχθυοεις, Il. υ. 392. memoratus, quem poſtea *Phrygium* appellatum conſtat.

Cayſtrus, Καυστριος, Homero quoque ob olores memoratus. Perfluit Aſium pratum. Il. β. 460. 461,

Lacus: *Gygaeus*, Γυγαιη λιμνη, inter Hyllum et Hermum fluuios. Il. β. 865. υ. 390-392. Nomen accepit aut a Gyge, Candaulis filio, quem primum Lydiae regem fuiſſe ferunt, aut a Gyge, heroe indigena. Abeſt a Sardibus XL ſtadiis, a recentioribus Coloë dictus a). Notum eſt templum Dianae Coloënes, religioſiſſime cultum.

Mons

a) χειροποιητον δε την λιμνην ἐνιοι ἱϛορουσι την Κολοην προς τας ἐκδοχας πλημμυριδων αἱ συμβαινουσι των ποταμων πληρουμενων, nonnulli

Mons: *Tmolus*, Τμωλος, νιφοεις ob altitudinem dictus, Il. υ. 385. Maeones eum accoluisse discimus ex Il. β. 866.

Vrbes: *Tarne*, Ταρνη, eaque ἐριβωλαξ. Il. ε. 44.

Hyda, Ὑδη, sub Tmolo monte sita. Il. υ. 385.

Pseudodidymus *Sardes* olim et Tarnen et Hydam appellatas fuisse tradit ad Il. ε. 44. et υ. 385. *Hyda* forte erat *Sardium* acropolis, Tarne vero ipsa vrbs. Strabo l. XIII. p. 723. *b*).

§. CXXXV.

PHRYGIA.

Il. β. 862. 863. coll. π. 719.

PHRYGIAE SITVS, INCOLAE ET FLVVIVS.

Phrygiae nomine Homerus eam Bithyniae partem significare videtur, quae est inter Ascanium lacum et Sangarium fluvium. Etenim non nisi, qui hanc regionem tenebant, ad bellum troianum profecti sunt, *Phryges* Homero dicti. Il. β. 862. 863. coll. π. 719. Regionem hancce ἀμπελοεσσαν, *vitiferam*, eiusque incolas doctos e curru pugnare dicit Homerus Il. γ. 184. 185.

Fluuius: Sangarius, Σαγγαριος. Il. γ. 187. π. 719.

nulli lacum manu factum affirmant Coloën, vt exciperet, abundante fluminum eluuie, aquam. Strabo l. XIII. p. 724.

b) Repugnantia tradit Strabo. Dicit enim l. XIII. p. 723. οὐδαμοῦ δ' εὑρισκεται Ὑδη ἐν τοις Λυδοις; mox vero: οἱ δε τας Σαρδεις Ὑδην ὀνομαζουσιν, οἱ δε την ἀκροπολιν αὐτης; et lib. IX. p. 470. ἡ μεν γαρ (Ὑδη) ἐςιν ἐν Λυδιᾳ.

§. CXXXVI.

§. CXXXVI.

CARIA.

Il. β. 867-875. Strabo lib. XIV. p. 758-762.

INCOLAE; FLVVIVS; MONTES; VRBS.

Cares, Καρες, Il. β. 867. κ. 428. βαρβαροφωνοι, *barbare loquentes*, Homero Il. β. 867. dicti, de quo epitheto conf. Strabo l. c. p. 759. 760. et Eustath. in l. Homerum puto ita appellare *Cares* relate ad suam aetatem; eius enim aeuo Carum gens nondum exstincta erat. Quod si ita est, rauca eorum vox fuisse mihi videtur, post ipsum Ionum in Asia aduentum, qui fere incidit in septuagesimum annum post finitum bellum troianum. Etenim Cariae quoque partem, et quidem eam, cuius meminit Homerus in Catalogo, Iones tenuerunt.

Fluuius: *Maeander*, Μαιανδρος, cuius in Catalogo occurrit mentio.

Montes: *Mimas*, Μιμας, ἠνεμοεις ab altitudine dictus. Od. γ. 122.

Mycale, Μυκαλη, Il. β. 869. Homerus Μυκαλης αἰπεινα καρηνα, *Mycales alta cacumina*, dixit.

Phthirus, Φθειρος, Homero Il. β. 868. ὀρος ἀκριτοφυλλον dictus. Eum Hecateus non diuersum facit a Latmo. Alii *Phthirum* eundem esse dicunt, qui et Grius appellatur. Strabo l. XIV. p. 733.

Vrbs: *Miletus*, Μιλητος, a Caribus condita. Apollod. l. III. cap. 1. §. 2. p. 176. Strabo l. XII. p. 067. Conf. Cellarii notit. orb. antiq. Tom. II. p. 87. seqq.

§. CXXXVII.

LYCIA.

REGIONIS ET INCOLARVM NOMINA: FLVVIVS.

Lycia et *Lycii* saepius Homero commemorati. Ipsam *Lyciam* poeta saepissime εὐρειην appellat, v. c. Il. ζ. 188. 210. π. 455. cet. et ἐριβωλακα, Il. ρ. 194.; item vitibus felicem et frumento

mento abundantem. Il. ζ. 195. Horum probe memor, bene haud semel Homerus *Lycios* πίονα δῆμον h. e. εὐδαίμονα, dixit, v. c. Il. π. 437 514. 673. cet. Memorat etiam Vates in Lycia monstrum, *Chimaeram*, Il. ζ. 181. 182. descriptum, quos versus repetit Hesiodus Theog. 323. 324.

Fluuius: *Xanthus*, Ξάνθος. Il. β. 877. ζ. 172. Vtroque loco fluuium nostrum satis distinxit poeta a Scamandro, quem ab eo Xanthum interdum appellari §. CXVI. monuimus. *Xanthus* Lyciae, teste Strabone, olim vocabatur *Sirbe*.

§. CXXXVIII.

PISIDIA

INQVE EA SOLYMI.

Il. ζ. 184. 204.

In Pisidia quaerendi sunt *Solymi*, Σόλυμοι, quorum ab Homero Il. ζ. 184. 204. iniecta est mentio. De *Solymis* Od. ε. 283. memoratis conf. §. X. voce *Elymi*. Est apud Herodotum (l. I. cap. 173) narratio, quae *Lycios* eosdem facit cum *Solymis*. Refert enim Herodotus, *Lycios e Creta in Asiam profectos, ductu Sarpedonis, a Minoe fratre pulsi, Milyadem terram a Solymis habitatam occupasse, veteri nomine Termilas, nouo dictos a Lyco Pardionis filio.* At haec non consentanea Homero sunt, quippe qui Lycios et Solymos diuersos facit. Bellerophontem enim dicit Homerus e Lycia profectum, Solymis bellum intulisse, Il. ζ. 184, et mox vers. 204. Mars interfecisse perhibetur Isandrum, Bellerophontis filium, aduersus Solymos pugnantem. Conf. Strabo lib. XIV. p. 764. 765. (p. 667. A. coll. lib. XII. p. 573. A. B. Casaub.)

§. CXXXIX.

CILICIA

ET IN EA ALEIVS CAMPVS.

In Cilicia campestri, quam vocant, situs est ad mare *Aleius campus*, Ἀλήιον πεδίον, per quem Homerus Il. ζ. 200. 201.

Bel-

Bellerophontem erraſſe narrat. Ab hoc errore nomen adeo inditum eſt huic campo *a*).

De *Arimis*, 'Αριμοις, vide §. CXXVII.

§. CXL.
PHOENICE.

Phoenices, Homero memoratos, Perſicum ſinum accoluiſſe vulgo dicunt. Eorum tamen, qui ſic ſtatuunt, ſententiam, Strabo, licet ipſe lib. XVI. p. 911. dubius haerere videatur, non admittit, (lib. I. p. 39. 40. conf. Euſtath. p. 1484.), haud parui momenti rationem, cur ii fidem non mereantur, eſſe exiſtimans, quod inuicem contraria proferant argumenta. At vero accuratius Homerum inſpicienti facile apparebit, poetam Phoenices dicere eos, qui *Phoenicen* tenebant, mari interno adiacentem. Dubium enim non eſt, quin ille *Phoenices* et *Sidoniae*, *Phoenicum* et *Sidoniorum* nomina promiſcue plerumque adhibeat. *Sidonii* autem dicuntur a *Sidone*, primaria *Phoenices*, vrbe, ad mare mediterraneum ſita.

Regionem igitur omnem, vti diximus, nunc *Phoenicen*, Φοινικην, Od. δ. 83 ξ. 291. nunc *Sidoniam*, Σιδονιην, Il. ζ. 291. eamque εὐ ναιομενην, Od. ν. 285. appellat; incolas autem nunc *Phonices*, Φοινικας, Od ν. 272. ο. 414. 418, nunc *Sidonios*, Σιδονιους. Od. δ. 84. 618. *Phoenices* iam Homeri aetate magnam ſibi famam mercatura maritima conciliaſſe, cum diſertis verbis relatum legimus Od. ο. 414. 415 coll. 402, tum ex epithetis, huic populo a poeta tributis, abunde cognoſcitur. Homero enim *Phoenices* dicuntur ναυσικλυτοι, re nautica celebres, Od. ο. 414. πολυπαιπαλοι, *vafri*, *verſutiſſimi* et *callidiſſimi* Od. ο. 418. quod epitheton ad lucri ſtudium, quo tenentur inprimis mercatores, manifeſto referendum eſt, ita tamen, vt illa vox de *Phoenicibus* ſenſu mitiſſimo accipiatur, vt nempe *homines ingenioſiſſimi* ea denoten-

a) καππεδιον]. κατα το πεδιον 'Αλήϊον. Οὗτω πεδιον της Κιλικιας καλουμενον ἀπο της του Βελλεροφοντου ἀλης, τουτ' ἐστι, πλανης. Schol.

notentur. Occurrunt et quaedam in Homeri vtroque carmine loca, in quibus *Phoenices* et *Sidonios* ita diſtinguit Homerus, vt illo nomine omnem populum ſignificet, hoc vero Sidonis vrbis ciues. Il. ψ. 743. 744. Od. δ. 83. 84. Erant quoque *Sidonii* Homeri teſtimonio egregii artifices, Il. ζ. 289 ſeqq. ψ. 743. ſeqq. Od. ο. 114. ſeqq. vnde et πολυδαίδαλοι, Il. ψ 743. appellantur. Menelaus apud Homerum meminit interdum *Phaedimi* herois, *Sidoniorum regis*, a quo craterem argenteum, auro diſtinctum, dono acceperat. Od. δ. 611-619. ο. 111-119.

Vrbs: Sidon, Σιδων, ſemel memorata Homero. Od. ο. 424. Dicitur l. c. πολυχαλκος, quo epitheto multas easque nobiles officinas fabriles metallicas, quae hac in vrbe erant, reſpicit poeta. Forte et aeris nomine indicat *Sidonis diuitias* quibus ea abundare poterat et ab mercaturam in genere, et ſpeciatim propter purpuram, quae per omnem terrarum orbem quatenus ille *Phoenicibus* cognitus erat, vna cum Tyria purpura in maximo pretio habebatur.

GEOGRAPHIAE HOMERI

Sect. III.

AFRICA.

§. CXLI.

A. AEGYPTUS.

AEGYPTI ET INCOLARUM NOMINA; FLUVIUS, ET URBS.

Restat, vt quae de AFRICA in Homeri carminibus occurrunt, in verba conferam paucissima a). Primum de *Aegypto* exponam, quae omnium Africae prouinciarum semper fuit illustrissima, et quae ab Homero etiam Od. ξ. 263. ob fertilitatem et vbertatem laudatur. Huius autem prouinciae nomen non nisi Od. δ. 351. occurrit; reliqua loca, in quibus *Aegypti* nomen occurrit, de Nilo fluuio accipi debent. *Aegyptios*, Αἰγυπτίους, quoque interdum memorat Vates, nempe Od. δ. 83. ξ. 263. 286. De *Moly* herba, Od. κ. 302. seqq. cui vim magicam tribuerunt Veteres, vide quae habent Eustathius et Didymus ad h. l. Riccius diss. Homer. tom. III. diss. 54. p. 121, in primis Feithius Antiq. Homer. p. 520. seqq. et Ill. Heyne ad Virgil. T. III. p. 626. Excurs. IV.

Fluuius: *Aegyptus*. Αἴγυπτος. Od. γ. 300. δ. 355. (Conf. Eustath. ad h. l. p. 1408.) 477. 581. ξ. 246. 257. 258. ρ. 448. Conf. Wood

a) Ipsa haec tertia *Geographiae Homeri* sectio optime satisfaciet Apollodoro, qui Homerum nullam habuisse Africae notitiam affirmare non erubuit. Vide Strabonem lib. VII. p. 299.

Wood. l. c. p. 120. verſ. germ. *b*) *Nilum Aegypti* nomine ab Homero ſignificari, nunc quidem omnes vno ore aſſirmant. Mirum ſane eſt, quod olim haeſerint in hoc loco haud pauci, cum tamen Homerus *Aegyptum* diſerte appellet fluuium, et Diodorus eo loco (lib 1. cap. 19. coll. 39.), in quo Nili nomina recenſet, eum quoque Aegyptum appellatum referat.

Vrbs: *Thebae*, Θηβαι, Homero *Aegyptiae*, Αἰγυπτιαι, dictae Il. ι. 381. 382. ne quis forte eas cum *Thebis Boeotiae* confundat. Locus claſſicus de *Thebis Aegyptiis*, qui indigne torſit interpretes, Achillea ad Vlyſſem oratione Il. ι. 307. ſeqq. continetur. Huc pertinent verba, quae verſ. 379-387. leguntur. Ita autem Achilles:

Οὐδ' εἰ μοι δεκακις τε και εἰκοσακις τοσα δοιη
Ὁσσα τε οἱ νυν ἐςι, και εἰ ποθεν ἀλλα γενοιτο.
Οὐδ' ὁσ' ἐς Ὀρχομενον ποτινισσεται, οὐδ' ὁσα Θηβας
Αἰγυπτιας, ὀθι πλεισα δομοις ἐν κτηματα κειται,
Αἱ θ' ἑκατομπυλοι εἰσι, διηκοσιοι δ' ἀν ἑκαςην
Ἀνερες ἐξοιχνευσι συν ἱπποισιν και ὀχεσφιν.
Οὐδ' εἰ μοι τοσα δοιη, ὁσα ψαμαθος τε κονις τε,
Οὐδε κεν ὡς ἐτι θυμον ἐμον πεισει Ἀγαμεμνων,
Πριν γ' ἀπο πασαν ἐμοι δομεναι θυμαλγεα λωβην.

De diuitiis, hac in vrbe reconditis, (conf. Od. δ. 126-135.), ne verbum quidem addere animus eſt. Subſiſtamus potius in verſ. 383. 384. in quibus *Thebas centum habere portas, et per earum vnamquamque ducenos egredi viros cum equis et curribus*, praeciſe affirmat

b) Omnia Homeri loca, in quibus Aegypti nomen legitur, de *Nilo* accipienda eſſe praeciſe affirmat b. Wood. l. c. At, Od. ξ. 351. non niſi de tota Aegypto intelligi poteſt.

firmat Homerus. Quaeritur, quonam ſenſu accipi debeant Θηβαι ἑκατομπυλοι? Centum aut multae portae proprie ſic dictae intelligi non poſſe videntur. Obſtat autem, quo minus hoc ſtatuamus, non tam ipſe portarum numerus, (veſtigia enim magnitudinis Thebarum longitudine LXXX fere ſtadiorum ſua aetate ſupereſſe tradit Strabo) quam potius verba διηκοσιοι δ' ἀν ἑκαϛην Ἀνερες ἐξοιχνευσι συν ἱπποισιν και ὀχεσφιν. Optime forte illuſtrat locum noſtrum Pomponius Mela lib. I. cap. 9. *Thebae, vt Homero dictum eſt*, inquit, *centum portas, ſiue, vt alii aiunt, centum aulas habent, totidem olim principum domos: ſolitasque ſingulas, vbi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Ad quam de *centum aulis principum* ſententiam prope accedunt ii, qui centum equilia in ipſa hac vrbe intelligunt *a*).

§. CXLII.

INSVLA: PHARVS.

Pharus, Φαρος, inſula Homero memoratur ante Aegyptum fluuium, h. e. ante vnum oſtiorum Nili, cum portu opportuno. Od. δ. 355-358. Sic ſane explicandus eſt ille Homeri locus, qui olim vehementer torſit interpretes, in quorum numero c[o]nſpicitur ipſe Bochartus Phaleg I. 23. Poſtea *Pharia* appellata eſt inſula noſtra. Strabo lib. I. p. 28. At iam Strabonis aetate continenti iuncta erat. Multa ſane habeo, quae hac de inſula in medium proferre poſſem, ſed ne longius excurrat commentatio mea, ad Woodii librum lectorem ablego.

a) Conf. Ill. MICHAELIS: *Etwas von der älteſten Geſchichte der Pferde und Pferdezucht in Palaeſtina, und den benachbarten Ländern, ſonderlich in Aegypten und Arabien.* Francf. 1776. 8. pag. 33-41.

Multa celeberrimae huic vrbi fuerunt nomina; Aegyptiacum nomen eſt נֹא אָמוֹן, Nah. III. 8. Reliqua ſingula recenſet Ill. MICHAELIS ad *Abulfedae Aegyptum* p. 86. 87. et ad Nahum Prophetam III. 8.

§. CXLIII.

§. CXLIII.

B. AETHIOPIA SVPRA AEGYPTVM.

INCOLAE: AETHIOPES, PYGMAEI, EREMBI.

Homerus Αἰθιοπῶν γαίας Il. ψ. 206, mentionem faciens, *Aethiopiam supra Aegyptum* (siue Ptolemaei IV. 7. Aethiopiam ὑπὸ Αἰγυπτον) non Aethiopiam interiorem, significare videtur. *Aethiopes* autem, quorum frequens apud poetam nostrum mentio, Il. α. 423. Od. α. 22. ε. 282. 287. dicuntur ad Oceanum (h. e. sinum Arabicum) siti, Il. α. 423. ψ. 205. ἀμύμονες *inculpati*, (h. e. pii et viuendi ratione simplices,) Il. α. 423. longe semoti, Od. α. 22. bifariam diuisi, alii quidem ad orientem, alii ad occidentem (h. e. Nili vtramque ripam accolentes; Strabo lib. I. p. 28. seqq.) Od. α. 23. 24, et hominum vltimi, ἔσχατοι ἀνδρῶν. Od. α. 23. Multa hic impedita sunt, quae forte nunquam satis expedientur. Probabile enim mihi videtur, omnem locum, qui Od. α. 22-26. occurrit, rapsodo cuidam potius, quam Homero esse tribuendum. Quod si ita est, iam non Oceanus Il. α. 423. memoratus, de sinu Arabico, sed de Oceano proprie sic dicto, et quidem occidentali, accipiendus videtur, et Homerus l. c. ad extremum occidentale Africae latus Aethiopiam nominare videtur, quae proprie Mauritania est. Vid. Ill. Heyne ad Virg. Aen. IV. 480. seqq. In eadem Africae regione est *Atlas* mons, cuius Homerus Od. α. 52-54. meminit. Quae ibidem de *Atlante* dici, explicatione indigent nulla. Conf. Ill. Heyne ad Virg. Aen. IV. 246-251.

Aethiopiam supra Aegyptum habitabant quoque *Pygmaei*, Il. γ. 56 quos tamen, iudice Strabone lib. I. p. 32. Homerus finxit omnem tenere oram Oceani meridionalem.

Denique et *Erembi*, Ἐρεμβοὶ a), Od. δ. 83. memorati, in hac Africae parte habitasse videntur, et quidem prope sinum Ara-

a) ἐρεμβὸς proprie est adiectiuum et denotat *tenebricosum*, *nigrum*.

Arabicum. Arabes Troglodytas *Eremborum* nomine ab Homero significari, iam Straboni obseruatum lib. I. p. 1.

§. CXLIV.
C. LIBYA.

Libyae nomine, si quid iudico, Homerus Od. δ. 84. ξ. 295. oram exprimit Africae maritimam, quae vicina est Aegypto. Quod autem in Libya Vates agnos nasci cornutos dicit, et oues ter singulis annis parere affirmat Od. δ. 85..86, minime confictum est. Vid. Herodot. l. IV. cap. 29, et Aristotel. hist. anim. VIII. 28.

§. CXLV.
D. INSVLA AD AFRICAM PROPRIE SIC DICTAM PERTINENS.

Ad Africam proprie sic dictam pertinet *Meninx* insula (hodie appellatur Gerbi seu Zerbi) quam Homerus *Lotophagorum terram*, Od. ι. 84. sicut insulanos *Lotophagos*, Od. ι. 84. 91. 92. 96. appellat. *Loto* enim vescebantur, de quo cibo vide, quae narrat ipse Homerus Od ι. 94. seqq. Adde Eustath. p. 1616. et 1644. Ad hanc *Lotophagorum terram* delatus est Vlysses post nouem dierum errorem, referente Homero Od. ι. 84.

INDEX

INDEX GEOGRAPHICVS*).

A.

Amazo-

*) Nomina, quibus asteriscum praefixi, in Homero non occurrunt.

X

INDEX.

Ce-

INDEX.

D.

E.

I.

INDEX.

INDEX.

Priami

INDEX.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Praefat. p. VIII. l. 19. XX. lege LX. — Explicationem locorum Homeri Od. λ. 13. et κ. 508. Proleg. §. I. p. 2. propoſitam, emendaui §. CXI. not. a) — p. 5. l. 9. innotuerunt *lege* innotuerint — p. 8. l. 25. 587. *lege* 487. — p. 10. l. 7. propingui *lege* propinqui — p. 12. l. 1. *poſt* ſeqq. *adde*: Homero autem non Sicilia, ſed Thrinacia Solis inſula dicta Od. λ. 106. μ. 127. — p 15. l. 18. *poſt* Θρινακιη *adde* Solis inſula. — l. 23. eorum *lege* Deorum — p. 27. l. 16. ſulgauerit *lege* vulgauerit. — p. 32. §. XXII. adde: *Orneae*, Ὀρνειαι ab Orneo, Erechthei filio dicta, cuius nepos fuit Mneſtheus, Agamemnonis ſocius in bello Iliaco. Pauſan. l. II. c. 25. Sitae erant in finibus Arcadiae et Sicyoniae. — p. 42. l. 19. ſita *lege* ſitae — p. 43. §. XXXI. adde: *Oetylus* Οἰτυλος, locus Lacedaemonicus, quem male quidam Τυλον appellatum fuiſſe contenderunt, non Οἰτυλον, ſed οἱ Τυλον ſcribentes. Ptolemaeus Bitylam fecit ex Oetylo, vti coniicit Meurſius Miſcell. l. IV. c. 8. Aberat fere CL. ſtadiis a Meſſa, et ab Oetylo Argiuo nomen accepiſſe creditur. — p. 54. §. XLII. non legitur *Celadon*, Κελαδων. fluuius, Homero Il. η. 133. memoratus, de quo vid. Strabo. l. VIII. p. 343. B. 348. A. Caſaub. — p. 59. l. 13. *lege* appellantur. *Cadmei* Καδμειοι, Il. δ. 391. Od. λ. 275. Καδμειωνες, Il. δ. 385. 388. pars erant Boeotorum, Homero pro Thebanis memorati. — l. 17. *lege* mentio fit, ſi ab Od. λ. 259. (§. XX. p. 30.) receſſeris. — p. 77. l. 16. *lege* Augeae. — p. 81. l. 10. *delendum* ω. 377. *Ibidem lege* appellat; occurrit tamen nonnullis in locis, v. c. Od. ω. 354. 377. Cephallenum nomen, quod non niſi de Cephalleniae inſulae ciuibus accipi poteſt. §. LXII. — p. 82. l. 28. *adde* Recedit a vulgari lectione et interpretatione, adeoque a ſententia propoſita Palmerius Gr. Ant. l. IV. cap. 23. — p. 89. l. 30. 31. ſed legitur Ill. Heynii *lege* ſed Ill. Heynii, legitur — p. 101. l. 24. *lege* Boebe.